23380/B

DELECTUS

OPUSCULORUM

MEDICORUM

ANTEHAC IN

GERMANIAE DIVERSIS ACADEMIIS

EDITORUM.

QUAE

In Auditorum commodum collegit, & cum notis hinc inde aucta recudi curavit

IOANNES PETRUS FRANK M. D.

Facultatis Medicae per Insubriam Austr., & Nosocomii Ticinenſis Director, Medicinae Clinicae in Reg. Acad. Ticinensi Prof. p. & o. Academ. Scient. Reg. Goetting., & Electoralis Moguntinae, tum Societatis Patriot. Mediolan. Sodalis.

VOL. II.

TICINI

IN TYPOGRAPHEO PETRI GALEATII
PRAESID. REI LITTER. PERMITT.
ANNO MDCCLXXXVI.

LIBRARY

PRAEFATIO.

Secundum operis huius Volumen typis mandaturus, pauca lectoribus meis circa eiuſdem continuationem habeo communicanda. Variae scilicet circumstantiae, variique novi labores impediverunt, ne citius haec pars DELECTUS OPUSCULORUM, *uti spoponderam, promulgaretur; quamvis benignitatem, qua* prima *eiusdem his in oris fuit suscepta, gratus agnoscam. Quodsi in futurum, ob temporis penuriam, non liceat semper* notas *ubique laboribus aliorum addere, quas si maiora essent otia, frequentius adiungerem; compensabo forte defectum, si loco illarum, ea hic inseram, quae variis* Academicis *occasionibus in ipsa* ITALIA, *brevia licet, hinc inde elaboraverim, & publica attentione non adeo iudicaverim*

indigna. Sic pro ipsa quoque G*ERMANIA mea*, *donec promiſſis ſtare, atque ſimilem huic*, OPUSCULORUM *&c. in* I*TALIAE diverſis oris editorum* DELECTUM *offerre queam, hic idem aliquem ſibi uſum comparabit. Dabam* Ticini Reg. *die* 28. *Iunii* 1786.

IOANNIS ANDREAE MURRAY

D. Equitis Ordinis Reg. de Waſa Conſiliarii Aulae R., & Profeſſoris Med. Goettingenſis.

DE

MATERIA ARTHRITICA

AD VERENDA ABERRANTE

DISQUISITIO.

GOETT. 1785.

SECTIO PRIOR.

§. I.

Vix ullus morborum fomes exſtat, tot & tam varias miraſque ſcenas in corpore humano ludens, ac arthriticus, quippe qui mox partem, in qua ſedem tenacius capit, valdopere excruciat, & haud raro, tumore, motus impotentia, nodis, ulceribus, labefactat, mox ſtimulo ſuo febrem diram accendit, mox vage in corpore oberrans fulminis inſtar ex uno loco in alterum tranſvolat, mox plura loca ſimul moleſte afficit, imo, quod peſſimum omnium eſt, levidenſi ſub-

inde de cauſſa priſtina latibula ſuperficiei corporis propriora derelinquit, & in eius intima penetrans apoplexiam adeo, cephalalgiam, vertiginem, anginam, item tuſſes pertinaciſſimas, oppreſſiones pectoris, haemoptyſes, porro tormina, digeſtionis ciborum vitia, profluvia aluina, flatus in inteſtinis, item convulſiones, affectiones hypochondriacas & hyſtericas, melancholiam, paralyſes, vitia verendorum varia aliaque multiplicis generis & eventus mala ſuſcitat. Habet id quoque illud virus vitii, quod pluries aliis natura multo diſſimilibus morbis ſeſe aſſociet, eorumque decurſum & medelam valdopere mutet, & difficiliorem tanto reddat, quum contra duplicem hoſtem diverſiſſimis ſubinde armis pugnandum ſit. Nulla igitur fere valetudinis labes incidit, cuius materia arthritica accuſari non poſſet vel genitrix vel comes. Et tanto magis metuenda eſt, quum larvatam ſaepe faciem prae ſe ferens, alios maxime diſcrepantes morbos mentiatur, & poſt longas inducias & reconciliatam, ut videbatur, amicitiam, ex receſſibus ſuis proſiliat, & hominem, ſpecie vel ſaniſſimum & robuſtiſſimum, enervatum proſternat. Quicquid olim diſputatum fuerit de eius ingenio & natura, item de peculiari parte, quam in articulis eorumque confiniis corripiat, utrum ſit capſula, ligamenta, tendines, perioſteum, tela celluloſa,

an nervi tranſcurrentes vel cuti vicinae immerſi; item quicquid de cauſſa, cur in articulos ſeſe crebrius deponat, agitatum fuerit: nondum eo deventum eſt, ut ſine omni contrarii metu de hiſce momentis pronunciari poſſit. Praeſtat igitur in iis indagandis ſubſiſtere, quae ſobria & attenta obſervatione de eiuſdem vi & multiplici, quo incedit, habitu, cognoſcuntur. Nec hacce luce praeeunte errare mihi videor, ſi, contra vulgarem ſententiam, ejuſdem quoad materiem indolis rheumatiſmum & arthritidem reputem, parum curans, quae ſerius in vocum inventione vel ſignificatu novata fuerunt, nec aliud diſcrimen admittam, quam quod arthritis articulos obſideat, rheumatiſmus partes extra articulos ſitas, muſculos ſcilicet cum obvolventibus eoſdem membranis aliaſque forſitan morboſa modo de cauſſa ſenſiles, item nervos aliquando grandiores, ſicuti in iſchiade nervoſa; ſive ceteroquin febris adſit, ſive deſit, ſive fixus inhaereat dolor, ſive vagis inſultibus infeſtet. Etenim & ego animadverti, ſubinde alternos quoad loca mox definita cruciatus unum eundemque hominem invaſiſſe, dolores, coxam vel ſcapulam vel thoracem occupantes, nictu oculorum fere citius deſcendiſſe in genu vel articulum pollicis pedis, mox iterum eadem velocitate aſcendiſſe in articulos manus vel digitorum vel priſtina loca muſcu-

loſa petiiſſe ; item aliquando ſimul dolorem utramque ſedem afflixiſſe . Nec minor cauſſarum & ſymptomatum praecipuorum communio deprehenditur . Arguit inſuper remediorum eorundem in utroque morbo efficacia ſimilem horum naturam . In utroque nimirum , ſi acuti vel inflammatorii generis eſt , ſanguis large emittitur & reliquae curationis antiphlogiſticae ſuppetiae ſummi momenti ſunt , ſubiunctis poſt coërcitam febrem blandis diaphoreticis ; ſi frigidae autem vel chronicae indolis eſt , eadem efficacia reſolventia , demulcentia , blande per cutem aliaſque colatorias vias acres ſtimulos evacuantia , item ad ſuperficiem corporis revellentia adhibendi , & eadem robori primarum viarum per ſtomachica proſpiciendi , opportunitas & neceſſitas proſtat . Non tamen negaverim , utrumque malum ob diverſam fabricam partium quaedam priva habere & rheumatiſmum citius contrahi arthritide ut quae fomitem lentius conceptum altioreſque radices agentem hincque difficilius aegriuſque ſubigendum ſtatuere videtur . Malo vero in hacce ſcriptione arthritidis voce , quam rheumatiſmi , quod nomen inter Graecos ALEXANDER TRALLIANUS omnium primus adhibuit , uti , quum vetuſtate famaeque HIPPOCRATIS ARETAEI , GALENI rel. , iſto priorum tempore , excellentia plus auctoritatis habeat , & omnes iſtas affectiones , in quas , tanquam ſpecies arthritidem &

rheumatiſmum ſerioribus temporibus medici diſtinxerunt, ſub ſe apte complectantur (*).

(*) Veriſſima haec illuſtris & amiciſſimi Viri monita eſſe, & plane nullam inter *arthriticam* & *rheumaticam* materiam intercedere differentiam, — nullam ſaltem vel ex effectuum, vel ex medelae convenientis vel obficientis etiam, natura deſumi poſſe, multiplici certe experientia & ego convictus ſum.: ut non ſatis poſſim mirari, egregium MACBRIDIUM dicentem: ,, Acrimoniam *rheumaticam* ab *arthritica* ad minimam tantum differre, quantum quae *morbillos* parit materia morbifica, ab ea diverſa eſt, unde *Variolae* naſcuntur (*methodical introduction L. IV. c.* 11.). Quodſi hoc ipſum de Arthritide fixa ſive *Podagra* intellexiſſet ſolum; non certe eſſet, cur talia non potuiſſent condonari: quamvis morbillos atque variolas, ut morbos *affines* non debuiſſet pro comparationis ſubiecto eligere, cum diu nimis a Scholis Medicis uterque morbus, ac ſi conſanguinei eſſent, unico eademque tractatu abſolvi ſoluerit. Rectius certe a CULLENIO, *Arthritidis* nomen, utpote apud Medicos ambiguum, reiicitur, & *Podagrae* ſolum nomen cum BOERHAAVIO, pro morbo adeo differente aſſumitur (Synopſis Noſologiae Medicae §. 11. edit. IV. p. 315.). Ut paucas rationes addam, ſufficiet hic meminiſſe, neminem adhuc *Podagram*, etiam leviorem, iiſdem curaviſſe remediis, quibus rheumatiſmus ſaepiſſime curatur; *Podagra* fere ut peccatum originale, ſaltem vix iure maiori, a patre in filium innocentiſſimum licet, tranſire conſuevit: ut neſciam, cur hanc nobilitatis probam, quacunque alia forte longe ſecuriorem, Cathedrales Germaniae Eccleſiae necdum, ad longam Pa-

§. II.

Et horum quidem malorum materies inter multiplices morbos, quos effingit, nullus fere moleſtior cognituque quoad originem difficilior

---

trum ex eadem ſtirpe oriundorum ſeriem meliori ſigno comprobandam introduxerint! . . . . . Ruſticus, qui tot *rheumatiſmis* ſubiicitur, a Podagra vix non ſemper degit immunis; &, niſi hoc ſit, verear, ne pulchriori natus matre, ignotum ſibi in venis circumtulerit germen nobilius. — Sed, ne rem ſeriam aliter quam ſerio tractem, — & abſque cauſſis manifeſtis externis oritur *Podagra*; prae feminis, Viros praecipue infeſtat; principio pedes ſolum petit, quamvis, cum inveteraverit, plures ſimul atque alios ex aliis articulos occupet; nil tale opinantibus ingruit, nec diuturni eſſe primi eius impetus ſolent, ſed certius redeunt, quam de rheumatiſmis dici queat; (QUARINUS, *animadverſiones practicae in morbos diverſos* C. XIV. p. 271.) thophos & nodos longe aliter, quam alius quicunque articulorum dolor, producit; praeeuntem plerumque ventriculi adfectionem inſolitam agnoſcit paroxyſmus *podagricus*. Ut brevis ſim, alium plane morbum ſiſtit *Podagra*, quem *Arthritis*, quam eandem cum *rheumatiſmo* naturam habere recuſat MACBRIDIUS: non enim niſi tumorem & dolorem communes habet illa cum hoc morbo; cum interim *rheumatiſmus* ab *Arthritide* ſic dicta *rheumatica* non aliter omnino differat, quam idem homo a ſe differret, qui nunc palatium inhabitaret, nunc anguſta domo includeretur, aut qui eodem fune nunc ad articulos ſtringeretur, nunc vero ſubiectos haberet eidem vinculo muſculos.

eſt, quam qui ex eadem, ad verenda converſa, affectiones aphrodiſiacas in viris, quorum praecipue ratio hic habetur, aliquando & in faeminis, aemulatur. Naſcitur inde facile contagii venerei concepti ſuſpicio, quod ſi in matrimonio contingat, ambigua evadit apud maritum coniugis, utut inſontis, fides, vel ſimili iure illius apud hanc, nec poteſt non apud eos, quibus ſancta tori iura ſunt, laxari vel omnino ſolvi amicum coniugii vinculum ſimulque rei familiaris integritas totiuſque reliquae vitae tranquillitas & beatitudo in tranſverſum agi. Aeger autem doloroſo ſpurco & ancipiti morbi genere correptus, ut famae & exiſtimationi ſuae proſpiciat, intempeſtive recondere ſolet mala, quae patitur, vel, ſi in hiſce anguſtiis opem quaerat, confugere ad medicaſtros, qui ob arctos doctrinae cancellos verae eorundem originis ignari temerario conſilio, ut fieri ab hiſce conſuevit in vitiis pudendorum venereis, morbum mercurialibus, iniectionibus adſtringentibus, balſamicis aliiſque eiuſdem faecis pluribus, tractant, quae, tantum abeſt, ut in huius generis metaſtaſi levamen medelamque afferrent, ut potius aegrum aptiori medela ſanabilem conterant. Quin ſi ex iis, quae in exercitio artis accidunt, & ſilentio plerorumque, qui in arthritidem commentati ſunt, auctorum concludas, tam rara eſt haecce

translatitia labes vehementioribus ſymptomatibus ſtipata, ut & ſcienti & exercitato medico aqua nonnunquam haereat.

§. III.

Non igitur vereor, ne inutilem operam aggrediar, ſi lege & conſuetudine permotus iam iterum calamum arripiam, & in abſtruſum hocce malum nec pro dignitate ſua hactenus explanatum curatius inquiram. Cui quidem argumento perſequendo anſam dedit caſus ſingularis, qui meae curae obviam venit, omnibus reliquis, quos memoriae proditos deprehendi, vehementia maior, & quem vel eo conſilio publici iuris facere non dubito, ut, quum ſucceſſus medicationis voto meo omnino reſponderit, habeant nonnulli normam, qua aliis in iiſdem difficultatibus opitulari queant.

§. IV.

Verendorum autem affectionum, de quibus hic ſermo, eadem eſt varietas & multitudo, qualem in viris alias, impura venere inquinatis, obſervamus, & id commune habent iſtae cum vitiis hac cauſſa contractis, quod quidam aegri gravius, alii mitius, quidam pluribus, alii pau-

cioribus moleſtiis conflictentur. Qui levius ex hacce translatione aegrotant, mingendi difficultatem modo experiuntur; aliquando tam mitem, ut tantum ſolito plus temporis mingendo conſumant. Alios gravis dyſuria male habet; vel gonorrhoea ſpuria erumpit, qua ſcilicet circa glandis coronam ſmegma foetens flavo viride tranſmittitur, ſubinde haud ſine moleſtiſſimo pruritu dolore & excoriatione glandis & praeputii cum utriuſque partis intumeſcentia & phymoſeos metu. Sunt, quibus catarrhus quidam ex urethra enaſcitur, ſed abſque ardore vel remora ſub mictu. Et hoc quidem muci profluvium in aliis copioſius, in aliis parcius, eſt, & per intervalla recurrens, ut tamen & aliquando ſimul dolor in inguine alterutro vel teſte eiuſdem lateris ſentiatur. Non tamen perpetuum eſt quod in colem ipſum vis morbi urgeat; aliquando vicinas tantum partes petit, ut teſtes, qui inde dolent & intumeſcunt, vel ſcrotum, quod moleſtiſſimo pruritu tentatur. Nonnulli vero longe gravius afficiuntur, ita ut fere nullum in gonorrhoea venerea, rectius omnino Leucorrhoea ſ. Blennorrhoea venerea verendorum dicenda, moleſtum ſymptoma incidat, quod non & huc referri poſſet. Id quod ſatis ſuperque ex hiſtoria, quam infra ex propria obſervatione uberius ſiſtam, apparebit. Sufficit, utne repetitione taedium pa-

riam , heic tantum nexus cauſſa ſignificaſſe , praevio ſenſu titillationis dolorem ardoremque in urethra enaſci , ſub mictum , diriorem , & ſenſim eo ingraveſcente profluvium mucoſum varii coloris & ſpiſſitudinis ſubſequi , conatum crebrum mingendi gravare ſaepe vel fruſtraneum vel pauco lotii ſtillicidio iunctum , glandem una cum praeputio doloroſe intumeſcere , inflammationis ſtimulum ad teſtes quoque & inguina ſe diſpergere ibidemque tumores & dolores ciëre , febrem adeo nonnunquam ſuſcitari , noctu ſomnum erectionibus colis frequentibus iiſque doloroſis turbari , lotium vel craſſo mucoſo ſedimento vel nebulis obfuſcari , vel filis laciniiſque eiuſdem naturae ſcatere , imo ipſam glandulam proſtatam in conſenſum inflammationis trahi , cui , niſi tempeſtiva & efficaci medela ſubveniatur , in ſcirrhum & carcinoma tranſire proclive eſt . In quibuſdam catarrhus iſte mentulae , poſtquam mucus limpidus & fluidior evaſerit , ſenſim ceſſat , in aliis , devictis etſi reliquis malis comitantibus , haemorrhoidum mucoſarum urethrae forma perſeverat . Redit & in iis , qui periculum eluctati ſunt , aliquando mingendi conatus frequentior cum levi dyſuria , & diu poſt non rarae ſunt nebulae lotii , quas modo dixi , mucoſae , vel filamenta fluctuantia , item nebulae ex tenuiſſimis filis mucoſis fere unice conflatae .

§. V.

Nec feminae tutae ab hacce arthritica labe ſunt, de qua quidem rarius ob verecundiam, niſi malum ingraveſcat, conſtat. Mitius autem haſce affligere ſolet, &, inter alias arthriticas affectiones, ſtranguria, item albo ex ſinu profluvio, quo ipſo miteſcunt priora morbi incommoda, cognoſcitur.

§. VI.

Hanc igitur labem, ſi vehementius viros tentat, ita ut ſtillicidium mucoſum urethrae cum ardore ſub mingendum ingraveſcente comitem habeat, *Gonorrhoeam arthriticam*, ob cauſſam, ex qua proficiſcitur, merito cum cl. CLERK (*a*) dixeris, vel Pyuriam arthriticam cum cl. SAUVAGES (*b*), qui quidem & Pyuriam viſcidam & P. mucoſam (*c*) tanquam diverſas ſpecies memorat, quae vero, ſi ad hiſtorias ab eo in medium prolatas, ex quibus ubivis fomitem arthriticum ſubfuiſſe intelligitur, reſpiciam, neſcio,

---

(*a*) In *Eſſays and Obſervations phyſical and litterary Vol.* 3. *p.* 445.
(*b*) *Noſol. method. T.* 3. *P.* 2. *p.* 208.
(*c*) *L. c. p.* 205. 206.

quomodo inter ſe & ab eius P. arthritica diſcrepent.

§. VII.

Sed ſunt praeter venereum, & arthriticum miaſma alii ſtimuli, qui idem multiforme malum ſuſcitare valent, de quibus diſquirere hoc loco non alienum eſt, quum tanto melius inde pateſcat, quanta vis ſtimulo arthritico inſit.

Non multum moror dyſuriam iſtam & muci uberiorem cum lotio excretionem, quam aliquando cereviſia recens copioſius bibita, vel acriores cibi, ſale vel aromate nimium conditi, quorſum & eſus Ranae temporariae L. loco eſculentae L. pertinet, excitant, vireſque ſimiles diureticorum & purgantium fortiorum.

Dentitionem difficilem per conſenſum partium aliquando accuſari debere, gravi teſtimonio (*a*) conſtat.

Ad

(*a*) IO. HUNTERI in EI. *practical Treatiſe on the diſeaſes of the teeth. p.* 146.

(*) Antequam *dentitionis* opus inciperetur, ſaepius obſervavi parvulos & *lactantes* adhuc infantes, toties eiulaſſe, quoties urinam emittebant, & hac emiſſa, mox denuo quieviſſe. Multoties a matribus atque nutricibus ob tale Phaenomenon conſilium meum petitum eſſe novi, & quamvis diutius perduraſſet malum, abſque ſequela tamen

Ad rariores vero origines pertinet epidemica aëris conſtitutio, qua ex aeſtu fervidiſſimo in tempeſtatem humidam & frigidam mutato bilis vitium contractum videbatur, unde plures ſimul gonorrhoea abſque alio quodam vitio correpti (*a*). Maxime memorabilia ſunt noviſſima a cl.^mo NOEL (*b*) narrata exempla, qui in oppidulo quodam Galliae aeſtate a. 1769. ſexaginta fere homines, viros & faeminas omnis aetatis & temperamenti, vidit, eodem fere temporis momento abſque ullius culpae ſuſpicione profluvio hocce correptos; haud aliter ac catarrhus noviſſime epidemicus in numeroſiſſimos homines eadem veſpera primam vim infeſtam exeruit (*c*). Fuit quoque vir catarrhis capitis & vicinarum

---

fuit & ceſſavit ſponte. Videtur ex ipſo *Victu lacteo* aliquando in parvulis hoc ipſum originem ſuam trahere, & acidum ſpirare urina lactantium, uti foetus ſaepe hoc ſolent, ipſique ſudores: unde facile eſt ſenſiliſſimam infantum urethram ab *acido*, urinis quoque excernendo, irritari.

(*a*) BASSII (*Obſervat. anatomico-chir. med. p.* 286.) obſervationibus pondus addiderunt ſimiles MORGAGNI (*de ſedibus & cauſ. morb. Epiſt.* 41. *Art.* 9.) & cl. NOEL.

(*b*) *Iourn. de Medecine T.* 51. *p.* 336. *ſeqq.*

(*c*) LENTIN *Beobacht. einig. Krankh. am Oberharze*, *p.* 9.

partium alias obnoxius, in quo bis viride profluvium ex mentula cum phimoſi contigit (*a*). Memorantur praeterea febres variae, quarum ſequela haec labes fuerit (*b*). In iſtis igitur morbis videtur irritamentum quoddam acre ex maſſa humorum ad verenda fuiſſe depoſitum.

— Aſt & aliae extant cauſſae, quae propius iam initio haſce partes feriunt, nec tranſlatitio tantum ſtimulo officiunt. Huius generis eſt calculus veſicae lotii, qui aliquando ſtillicidium ſimile creat (*c*).

Ludunt aliquando eandem ſcenam cum toto moleſtiarum, quae a contagio venereo alias proveniunt, comitatu haemorrhoides interceptae (*d*), in quibus dum ſanguis per anum ob reſiſtentiam vaſorum prodire nequit, partim communione vaſorum, virilibus proſpicientium, partim ſtimulo circa anum enato conſenſuali, mucoſa eluvies ibidem tranſcolatur. Forſitan & hic quibuſdam in caſibus acre quoddam vellicans ſimul ſubeſt.

(*a*) METZGER *verm. medic. Scriften*, *Vol. I. p.* 92.
(*b*) OFTERDINGER *Anleit. für. d. Landvolk*, *Ed.* 1773. *p.* 475.
(*c*) PLENK *de morb. vener. p.* 31.
(*d*) De qua origine vix praeſtantius aliquid dici poteſt, quum quae BRENDELIO (*Diſſ. de haemorrhoidibus interceptis morbos verendorum aphrodiſiacos ſimulantibus*, *Gott.* 1744.) debemus.

Vehementia quidem cedit iſta gonorrhoeae ſpecies, quae in ſano homine a repetita nimis, vel nixu effraeno peracta, venere oritur; pertinax tamen non raro & curatu difficilis, praecipue ſi onaniae nefandum vitium in deliciis fuerit. — Specialius conſiderandi ſtimuli acres, qui extrinſecus immediate muci fontes irritant. Quorum e numero eſt ſpurcities ipſius virilis, cui occaſionem praebet tegmen balani antice tam coarctatum, ut denudari illa nequeat, unde humor conſuetus unctuoſus inter utramque partem dictam colligitur, moraque acris factus & glandem & praeputium inflammat & glandulas ad uberiorem ſecretionem ſollicitat (*a*). Non igitur heic fons eluviei ſpurcae in ipſa urethra quaerendus eſt.

Ipſa mulier, etiamſi non venerea, eiuſmodi acrimoniam in ſinu ſuo fovere poteſt, qua virile contaminetur. Ex venere cum faeminis Indarum regionum id aliquando contingere legi-

(*a*) Phimoſis eiuſmodi cum ſequelis ſubinde nativa eſt, nec in adultam modo aetatem cadit, cuius rei caſum narrat cl. ALIX (*Obſ. chir. Faſc.* 2. p. 63.), ſed & in infantilem, ut caſu infantis triennis conſtat a cl. PLENK (*de morb. vener.* p. 30.) ſignificato.

tur (*a*) ; quo nominatim de vitio non adiicitur. An ſpurcitiem quandam acrem calor climatis vel generavit vel auxit ? Prout idem extra iſtas regiones, ſirio ardente, aliquando obſervatum (*b*).

Quidam exercitium venereum, praeſente menſtruo fluxu (*c*) vel eo deſinente, vel lochiis nondum omnino ceſſantibus, in culpa habent.

Certius adhuc leucorrhoeam mulierum, etſi virus venerei omnis expertem, accuſamus; quippe quum conſtet, quantum moleſtiae illa ſubinde mulieribus ardore, excoriatione, dyſuria rel. faceſſat.

§. VIII.

Quanta igitur, ſub hac cauſſarum gonorrhoeae varietate, ſcientia, perſpicacia & prudentia opus eſt ad indagandos abſconditos eius natales, ne quid ignorantia originis & verae naturae committamus, quod in diſcrimen doctrinae noſtrae vel urbanitatis, vel dedecus &

(*a*) HALLERUS (*Elem. phyſiol. T. 7. p. 476.*) citat. HAILLY *Voyage aux cotes d' Afrique.*

(*b*) *Richtiger Gebrauch d. Bleiextracts in äuſſerl. Zufällen. p. 339.*

(*c*) V. eiuſmodi exemplum inter FR. HOFFMANNI *Conſult.* in *Oper. omn. T. 4. p.* 284. *Caſ.* 94. Sed nonne mulier menſtrua iam fundens ſimul contagio venereo delibuta eſſe poteſt ?

periculum aegri, cedat. Nimirum quicquid membranam, interne urethram ſuccingentem, vellicare & inflammare potis eſt, vim habet ſinus mucoſos, quibus iſta inſigni numero diſtinguitur, & qui a MORGAGNIO nomen habent, ad uberiorem ſecretionem ſollicitandi, & ſic veram gonorrhoeam excitandi; ſive extrinſecus ille ſtimulus contactu accedat, ſive illuc ex humoribus deferatur. Simili ratione gonorrhoeam ſpuriam enaſci ſponte intelligitur, dum irritamentum iſtud glandulas ſebaceas coronam glandis cingentes petat. Rarius contingit, ſaltim ex ſtimulo extus allato, quod eluvies profundiorem in urethra proventum, ex glandulis Cowperianis, vel glandula proſtata, quin ex veſiculis ſeminalibus, habeat, ſed plerumque in iis modo lacunis mucoſis urethrae ſubſiſtit, quae glandi proximae ſunt. Quo acrius iſtud irritamentum eſt, & quo tenacius inhaeret, eo gravior eſt, quae illud excipit, inflammatio, & eo vehementius, quod illam comitatur, ſymptomatum ſatellitium.

Multum lucis accendit, quoad originem & naturam huius profluvii, audax cl. SCHWEDIAVER (*a*) in ſe ipſo captum experimentum,

(*a*) *Practical Obſervations on the more obſtinate and inveterate venereal complaints*, p. 32. *ſeqq.*

Hic enim ſolutionem cauſtici alcalini compreſſa mentula pone frenulum, utne ultra vulgarem gonorrhoeae limitem deſcenderet, in urethram ſyringae ope bis iniecit, unde mox dolor vehementiſſimus, ut & ſyringam extrahere cogeretur & liquidum efflueret, & paullo poſt lotium emittendi conatum, quod quidem primum ſuppreſſit, dein, quum emitteret eo loco, quo iniectum liquidum ſubſtiterat, dolorem intendi manifeſte animadvertit. Die poſtero & ſubſequentibus materia puriformis ſueti in gonorrhoea coloris profluxit, dolore quidem ad priorem locum ſenſim imminuto, ſed ſuccedente die quinto nova inflammatione profundius exorta, quae ſimilem eluviem per ſex dies durantem poſt ſe traxit, quibu exactis omnes fere moleſtiae ſiluerunt; verum ecce ſubſequuta tertia inflammatio, a margine proximae circa caput gallinaginis ad veſicae urinariae collum ſeſe extendens cum eodem ardoris ſub mingendum & effluxus copioſi connubio, donec & haec poſt octiduum deſaeviret, nullo alio malo pediſſequo. Idem itaque ex hocce ſtimulo arte applicato effectus redundavit, qui conſequitur, ſi ſuppreſſa gonorrhoea virulenta, ad peiora incommoda arcienda vel tollenda cereolo, mucoſa eluvie alius ſimilis aegri oblito, reſuſcitatur.

§. IX.

Largiar facile exempla adeſſe, quod, etiamſi una vel altera ſupra dictarum potentiarum virile alluerit, vir tamen ab inquinamento iſto immunis manſerit. Sed non ideo cauſſae allatae in dubium vocandae ſunt; quidni enim eodem iure infectionem ex amplexu mulieris tabo venereo delibutae metuendam neges, quod aliquis impune eandem meretricem adierit, quae tamen aliorum imprudentiam peſſime mulctaverit, vel quod rariori exemplo quidam, vaga licet & ſuſpecta venere uſi, nullam contagii adliti notam deportaverint. Corporis ſcilicet vel partis ad recipiendum fomitem noxium vel conſenſualem ſtimulum opportunitas praecedat neceſſe eſt, quae quidem aliquando deficere deprehenditur. Id porro monendum, interdum ſolitariam quandam ex dictis cauſſam malo gignendo non ſufficere, dum contra ea pluribus viribus coniunctis ſeſe efferat. Sic cauſſa haemorrhoidalis cum arthritica combinari poteſt, neutra tamen gonorrhoeam ſuſcitante, niſi extrinſecus vis quaedam accedat, utramque iſtam ad ſedem ſubſequentis labis determinans.

§. X.

Iam vero deſcripto (§. IV.) gonorrhoeae arthriticae decurſu & ſimilitudine demonſtrata, quam habet cum aliis mali huius ſpeciebus ex diverſiſſima licet cauſſa oriundis (§. VII.), notae conſiderandae ſunt, quibus eruitur, miaſma arthriticum in culpa eſſe.

Diagnoſis difficilior redditur complicatione venerea, haemorrhoidali, vel alia, unde proclive maxime eſt, accuſare vitium, quod reliquis manifeſtius eſt, & olim maxime aegrum, alia etiamſi facie, afflixit, vel cui prae reliquis patuit. Si quis gonorrhoea olim venerea tentatus in arthriticam incidit, ambiguitas enaſcitur, etiamſi vere ab iſta ſanatus fuerit, anne ex priori malo ſemina quaedam ſuperfuerint, quibus hoc ipſum recruduit, utpote quum notum, poſt inducias mox longiores mox breviores nonnunquam renovari venereum profluvium. Ita qui illicitam venerem exercuit in ſuſpicionem contagii venerei contracti incidere poteſt, ſi paullo poſt arthriticam hancce labem experitur, licet faemina contagii expers fuerit. Nec in maritis arthriticae indolis illam eſſe certo, ſaltim initio, pronunciari poteſt, niſi de intemerata vita uxoris certiſſime conſtet, quum rariſſime ſuppetat oculorum indagine vitii venerei immunitatem in faemina explorare.

Fac vero haec omnia ſcrupulum non movere, tum in primis dubii reddimur, ſi abſque ullius *arthritidis regularis*, quam ſcholae vocant, ſive iſtius, quae primam vim in exteriori corporis parte, plerumque artubus, exerit, praeviis ſignis verenda miaſma arthriticum petit, praecedente forſitan extrinſecus vellicante quadam potentia, quae illud alliciat. Quidni hanc ipſam a conſueto naturae ordine aberrationem, tanquam primitivam admitteremus, quum conſtet, plures in corpore, ad iſtum temporis terminum quoad ſpeciem integro & immuni, exſurgere morbos, quorum origo fomiti arthritico inſidioſo, nec conſuetis cancellis antea unquam circumſcripto, debetur, quam quidem *arthritidem anomalam* vere obtinere, diſerte MUSGRAVE (*a*) innuit, confirmavit ſua experientia cl. CLERK (*b*), qui poſterior peculiari nomine eandem inſignivit, ſive arthritidis anomalae *imperfectae*, item cl. WHYTT (*c*). Quam aegre autem haec ipſa eruatur, inde cognoſcitur, quod ipſe MUSGRAVE ſignificat, " eius ſymptomata & eorum interpretationes ſupra captum humanum videri ". Quod quidem ſine dubio in cauſſa eſt, quod

(*a*) *De arthritide anomala*, *p*. 3.
(*b*) *Eſſays and Obſ. phyſ. and literary T*. 3. *p*. 427.
(*c*) *Eſſays l. c. p*. 466.

ratio arthritidis anomalae imperfectae in univerſum ab auctoribus modo pauciſſimis habita fuerit. Lucem aliquam me iudice in hiſce ſpiſſis tenebris de labe iſta, in quam hic commentor, accendere poſſunt negativum iudicium, dum ſcilicet nulla reliquarum gonorrhoeae cauſſarum poſt percontationem accuratiſſimam accuſari poteſt; praeſentia earum virium, quibus alias arthritis enaſcitur, nimirum hereditas, contagium, diaetae vitia, rel.; ſubſequentes forſitan in externo corpore arthritici cruciatus, ſilente vel miteſcente altera labe, vel hanc ipſam comitantes; item, quae quidem ſerius paullo adminiculum in diagnoſi praebet, efficacia medelae in ſanationem adhibitae. Cl. CLERK ſtranguriam vel ſaltem mingendi difficultatem (*a*) pluries indicem latentis arthritidis cognovit. Quae quidem ſigna plerumque in connubio vitiorum officinae digeſtionis ſeſe manifeſtarunt, ſed memorabile maxime eſt, quod addit effatum " No doubt, the diſeaſe may ſometimes be lodged about the bladder or urethra, without affecting any other of the bowels ". Alius (*b*) ex filamentis

---

(*a*) *Eſſ. l. c. p.* 442.
(*b*) Pater CLERKII, quem mox dixi, in PRINGLE'S *Diſeaſes of the army* ſecundum citationem filii in *Eſſ. and Obſ. cit.* qui vero locus in *Ed.* 7. Pringliani libri omiſſus eſt.

mucoſis in lotio fluctuantibus ; quae ſiccata ſpeciem calcis prae ſe ferrent , inſidias iſtas hoſtiles divinavit .

Planior omnino in hiſce ſalebris ad cognitionem mali via eſt , ſi labes iſta obſcoenorum nonniſi poſt varia alias in externo corpore obvia incommoda praegreſſa vexat, vel, ut cum CLERKIO loquar , *arthritidem anomalam perfectam* conſtituit . Aſt intervallum , hanc tranſpoſitionem & regularis arthritidis inſultum intercedens, ſubinde tam longum eſt , in annos complures uſque protractum , ut hic fere in oblivionem ceſſerit , quando iſta poſtliminio contingit . Interdum dimidiato quaſi impetu prodit , miaſmate non omnino partem, quam primum invaſit, derelinquente . Si vero , cruciatibus in externo corpore vel interna quadam parte diſparentibus, confeſtim incommoda iſta in verendis ſentiuntur , tanto magis firmatur iudicium noſtrum . Et haec quidem communia cum qualibet alia arthritica metaſtaſi ſunt , quamcumque partem internam aggrediatur , item cum exanthematibus ſive acutis ſive chronicis ad interiora retrocedentibus. Levatur igitur vel omnino tollitur priſtina affectio hacce nova ſuccedente . Item hacce evaneſcente recrudeſcit (*a*) interdum prior.

(*a*) SAUVAGES *l. c. p.* 208.

Attamen aliquando ſub ipſo decurſu huius labis arthritidis abditae ſigna aliquot ſeſe exſerunt. Sunt qui pro diſtinguenda gonorrhoea arthritica a venerea & hoc criterium cenſent, quod haec inficiat, iſta vero non (*a*): an iure, dubito; quidni enim acrimonia, quae ad urethrae maris membranam translata mucoſas eius cryptas ſollicitandi eamque in febrem uſque diram inflammandi vim habet, ſi in faeminae ſinum tranſmittitur, eoſdem ibidem effectus procreatura eſſet, & vere aliquando procrearet, niſi tormenta, quae patitur aeger ex iſta morboſi fomitis digreſſione, & mentis deiectio, ob incertam eorundem indolem & eventum, libidinem refrigeraret vel omnino exſtingueret. Addo prout in aliis morbis ſubdolae & larvatae indolis vera eorum natura & cauſſa ſaepe a remediis vel iuvantibus vel nocentibus peti poteſt, haec pariter in hac ambiguitate dirigere diagnoſin noſtram poſſe. Id quod quidem non ad primum ſtadium ſive inflammationis, ſed ad alterum relaxationis variaſque ſequelas ſpectat. Nam quam-

(*a*) Ita ſentit cel. TODE (*Kenntniſſ u. Heil. e. gemeinen Tr. p. 9.*) qui gonorhoeae venereae deſcriptione omnibus reliquis auctoribus accuratione antiſtat, item cel. PLENK (*de morbis vener. p. 35.*) de gonorrhoeis extra cauſſam veneream ortis generatim.

diu iſtud urget, qualiſcunque fuerit fomes vel ſtimulus praegreſſus, venereus, arthriticus, haemorrhoidalis, rel. (§. VII.), eadem ubivis medendi methodus requiritur, ſcilicet ea, quae inflammationem ſubigere valent, &, ſi acrimoniae indicia adſint, ea, quae eandem diluendi, obvolvendi, & una cum lotio eliminandi, vim habent. In altero autem ſtadio, & ſequelis variis, quae devicto primario morbo ſubinde ſuperſunt & ſpeciem novi morbi prae ſe ferunt, acquieſcere non licet univerſaliori iſta curandi via, ſed pro cauſſa ſpecialiori variandum eſt e. c. in digreſſione haemorrhoidali ſanguis in conſuetos cancellos ſanguiſugis aliiſque commodis revocandus eſt; ſi venereus fomes peccaverit, mercurialia ſaepe in pertinaciori malo opportuna; ſi arthriticus, vix ſine ſpecificorum arthritidi adverſorum adiumento fine tuo potieris. Commutatio horum auxiliorum abſque cauſſae latentis reſpectu manifeſte nocebit, tam in morbo ipſo, quam in ſubſequentibus ex eodem fonte malis. Quis e. c. ſine damno, arthritide in glandulam proſtatam delata eaque tumida & indurata, impune mercurialibus topicum hocce vitium impugnabit. Tanquam aliquid ſingulare & diagnoſticon in ſtranguria arthritica notavit cl. CLERK (*a*) hoc, quod, licet veſicatoria

---

(*a*) *L. c. p.* 444.

alias facile ſtranguriam excitent, haecce tarſis applicata ad efficaciſſima in eadem tollenda remedia referri debeant.

§. XI.

Quemadmodum vero quaelibet arthritis anomala ob laeſas nobilioris partis functiones, remotiorem ab effectu externorum remediorum ſedem, & vim maiorem, quam parti labefactatae affert, difficilior curatu magiſque ambigui eventus eſt, quam iſta, quae exterius corpus obſidet: ita & haec, quam iam perſequor. Per ſe tamen liquet, quum eadem mox mitius mox gravius vexet, quin a levi ſtranguria ad lethale uſque proſtatae carcinoma potentia eiuſdem ſe extendat, non ſemper eam aeque timendam eſſe. Blandius, quod de eius natura quidam iudicium ferunt (*a*), ſine dubio ad leviores morbi gradus pertinet, ut ad ſtranguriam, gonorrhoeam ſpuriam vel exiguum modo per urethram profluvium; quae quidem mala mox longioris mox brevioris morae ſunt & interdum aliquoties recurrunt. Aſt multo plus negotii & aegro & medico faceſſit malum, ſi comitem ſeſe adiungit

(*a*) TODE & PLENK *ll. cc.*

vera urethrae inflammatio, quae ſi adeo deſcendit verſus veſicam & proſtatam pariter corripit, ambiguum exitum reddit. Sed ne tunc quidem deſperandum; quin nonnunquam natura hiſce turbis videtur tanquam criſi uti ad everrendum acre arthriticum & inducias ab affectione conſueta in externo corpore longas conciliandas. Ipſa induratio & intumeſcentia proſtatae reſolutionem admittit, modo recens ſit & efficacibus remediis impugnetur. Sed carcinomatis in ea enati eheu hactenus, quantum conſtat, nullum remedium inventum eſt.

§. XII.

Non poſſet vero fomes iſte arthriticus ad haecce loca transferri, niſi iſte mira ſubtilitate, qua minima vaſa & exiliſſimos nervos permeat, praeditus eſſet. Inter multas cauſſas, quae tranſmigrationem eius ex uno loco in alterum excitare queunt, memorandus heic nominatim eſt nixus partis cuiuſdam intenſior, qui ipſe vel ſtimulando vel debilitando partem ad ſuſcipiendum virus alicubi latens opportunam reddit. Sic animadverti, iſchiadem dolentiſſimam nervoſam in viro rheumatiſmo ſive arthritidi obnoxio exortam, quum manu dextra, quam fieri poſſet altiſſime exporrecta, nodos expediret laqueorum

aulaei feneſtrae praetextu digitis pedis eiuſdem lateris inſiſtens ; & alia occaſione vehementiſſimus dolor eiuſdem naturae ſcapulam ſubito torſit, dum hieme pallium pelle ponderoſiori inſtructum ipſe humeris ſuis ſumma velocitate ſuper caput iniiceret, ut, decori cauſſa, honorati viri auxilium anticiparet. Obſervavi quoque incurvatione dorſi in terram ſubitanea virus hocce ex coxa, ubi, ſenſim licet deſaeviens, antea haeſerat, mox ad pectus converſum, & ibidem praeſentiam ſuam primum haemoptyſi, dein hac ſopita ſub variis inſidiarum clandeſtinarum indiciis in remotis partibus, tuſſi pertinaci cum ſcreatu muci coloris multiplicis manifeſtaſſe. Elucet itaque ex hiſce, quanta vis ſit nixus verendorum intenſioris & ſtimuli ad illa extrinſecus allati ad virus arthriticum alliciendum. Caſus infra uberius a me enucleandus, uti & alius, quem cl. POUTEAU (*a*) de viro recenſet, a gonorrhoea ſpuria nonniſi viduitate liberato, rem illuſtrat.

§.

(*a*) *Oeuvres poſthumes*, *Tome I. p.* 363.

§. XIII.

Pluries quoque obſervatum eſt, arthriticum miaſma, alia etſi, quam quae deſcripta hactenus a me fuit, facie, miro niſu in lotii vias ferri. ARETAEUS (*a*) iam notavit, communicari arthritidem inter alias, quas memorat partes, renibus quoque & veſicae, & CAELIUS AURELIANUS etiam (*b*) conſenſum veſicae declinante priori paroxyſmo arthritidis accuſat. Sic SYDENHAMIUS & BOERHAAVIUS, in quos immortales viros hic morbus tyrannidem ſuam exercuit, lumbaginem rheumaticam deſcribentes mentionem faciunt incommodorum nephriticorum & teneſmi veſicae moleſtiſſimi, qui ſub deſcenſum calculi a rene alias infeſtare ſolet. Poſſunt quoque quodammodo huc trahi veri calculi urinarii, quos ſaepe arthritici concipiunt, & quorum cruciatus haud raro cum arthriticis tormentis alternant, de quibus alibi fuſius diſſerui (*c*). Magis vero huc ſpectat critica per lotium evacuatio, quae interdum in arthriticis contingit, urina ſcilicet mucoſa, la-

(*a*) *De morbis acut. & diuturn. Ed.* BOERH. *p. 66.*
(*b*) *De morb. acut. & chron. p.* 559.
(*c*) *Diſſ. de cognatione inter arthrid. & calcul.* recuſ. in *Opuſc. Med. Vol. I. p.* 186.

ctea, cretacea, ſabuloſa, copioſius ſecedente. Fuit arthriticus (*a*), qui, poſtquam urinam craſſam copioſam, paullo poſt in ſpiſſitudinem gelatinae denſatam, eminxerat, valetudinem ſuam recuperavit. Alius (*b*), cui leves paroxyſmi per intervalla redierant, ſubito reddidit lotium lacteum, quod poſt horam pellucidum evaſit, deiecto ad fundum vaſis ſedimento albicante copioſo ſenſim in cretae vel gypſi duritiem indureſcente, quae ſcena rediit per octo vel novem menſes (*c*). Fateor tamen haec magis ad renes ſpectare, quam inferiorem viarum urinae cum vicinis partibus tractum. Ad hunc vero pertinet dolor veſicae cum febre in adoleſcente arthritico vel ſimplex dyſuria, quam excepit urinae craſſae ſedimentum albidum viſcoſum, ſenſim copioſius (*d*). Item huius loci eſt hiſtoria monachi (*e*), qui poſt inducias podagrae per undecim annos conceſſas ſubito urinae ſup-

---

(*a*) BAGLIVI *Opera omn. p.* 117.
(*b*) *Hiſtoire de l' acad. R. des ſciences* 1747., *p.* 56.
(*c*) Conf. & caſus a cl. ADAMI recenſitus, quem recuſum in HALL. *coll. pract. diſpp. T.* 8. *p.* 795. *ſeqq.* enucleavi in *Opuſcul.* meorum *Med. Vol. I. p.* 201.; item caſus ſimiles, quos allegavi *l. c. p.* 209.
(*d*) SAUVAGES *l. c. p.* 207.
(*e*) *Diſſ. ſiſtens caſum iſchuriae ex materia podagrica ad veſicam delata* reſp. PETERSEN, *Argent.* 1782. *p. I. ſeqq.*

preſſione corripiebatur, quam catheteris repetita applicatio aliaque ſubſidia vincere non potuerunt, donec arthritis pedes manuſque afficeret, redeunte pedetentim ſpontanea lotii excretione. Inter ea, quae anatome in arthriticorum cadavere aliena detegit, refert quoque ill. LIEUTAUD (*a*) proſtatam tumidam. Cui obſervationi vel ideo multum tribuo, quod idem vitium in caſu mihimetipſi obvio occurrit. Haec quoque in memoriam revocat aliud memorabile exemplum (*b*), ſenis, doloribus rheumaticis vagis per tres annos conflictati, tandem iſchuria pertinaciſſima correpti, quam, catheteris applicatione & paracenteſi per perinaeum aliaque per inteſtinum rectum facta reliquiſque fruſtra tentatis, tandem hypogaſtrio acu triquetra ſuper ſymphyſi oſſium pubis perfoſſo averruncare datum fuit. Quoniam vero poſtea naturale urinae iter nonniſi catheteris ope lotium tranſmittebat, per hocce artificiale reliqua ſenis vita alere tranſitum lotii opor-

(*a*) *Synopſ. prax. med. T. I. p. 74.*
(*b*) Vid. fratris ADOLPHI MURRAY *Diſſ. de paracenteſi cyſtidis urinariae Upſ.* 1777. *p.* 6. *ſeqq.* & hiſtoria ſectionis cadaveris, quam ex communicatione cl. chir. MEYER, qui Tiguri aegri curam chirurgicam geſſerat, una cum prolixiori de morbo expoſitione, pubblici iuris fecit praeſtantiſſimus vir iuvenis I. IAC. RöMER in *Abhandl. d. Schwed. Aerzte Vol. I. p.* 260. *ſeqq.*

tuit, id quod coaleſcente veſica cum vulnere externo & callo circa tubulum immiſſum enato facile fuit. Poſt mortem conſtitit, glandulam proſtatam pugni minoris magnitudine intumuiſſe & lardoſae naturae fuiſſe, eiuſque excreſcentiam in veſicam protuberaſſe, qui igitur tumor compreſſione ſua lotio viam interceperat. Verum evidentiora exempla niſus iſtius ſomitis arthritici in haſcé partes hiſtoriae continebunt, quas ſecundae ſectioni deſtinavi.

SECTIO POSTERIOR.

§. XIV.

Ante biennium circiter vir quidam, in matrimonio degens & aliquot liberorum ſanorum pater, quadragenario maior, temperamenti cholerici, munere & vitae integritate conſpicuus, me ob profluvium ex urethra cum ardoris ſenſu iunctum hac in urbe conſuluit. Fuerat iſte in vitae genere, quod exercitium corporis neceſſarium ſaepe interdixit, plures annos antea per intervalla affectionibus arthriticis, vel, ſi malis, rheumaticis tentatis; quae plerumque vel lumbos vel ſcapulam, aliquando & pectus, occupaverant, ſaepe quoque vagos inſultus ex uno artuum articulo in alterum fecerant. Haemor-

rhoidum indicia non alia unquam adfuerant; niſi quod aliquando etſi rariſſime leviuſculum pruritum circa ſedem, vel nodulum ibidem brevis durationis nec ullo modo moleſtum, ſentiret, & quod, dum liberis operam daret, aliquot ſanguinis ſtillas ſubinde poſtea per lotii iter eiiceret (*a*). Contagii ex impura venere contracti ſuſpicio neque in eum neque in uxorem ulla cadere poterat, quum & fama & amor utriuſque coniugis mutuus id vetaret, nec ſane, ſi hac in re peccatum fuiſſet, ſciſcitanti mihi debita cautione & ſine notitia cauſſae ambiguam valde futuram curationem ſerio declaranti, ſub aegritudine animi, quae utrumque coniugem ob moleſtum hocce malum angebat, id celaſſent, perſuaſiſſimi ſilentium medicum religionis inſtar mihi eſſe. Uxor quoque, ſi leve leucorrhoeae, cui alias obnoxia erat, veſtigium eximas, ſaniſſima fuit, nec ad eandem tollendam medicinae capiendae ulla neceſſitas proſtitit. Negotiorum ratio iter & abſentiam marito ultra dimidium annum iniunxerat. Rediit hieme adoleſcente ſanus, praeterquam quod & abſens aliquando rheumatiſmo ſibi familiari correptus fuiſſet, &

(*a*) Id quod BRENDELIUS (*Diſſ. de haemorrhoidibus interceptis &c. p.* 8. §. *6.*) inter ſymptomata haemorrhoidum refert.

mali iſchiadici reliquiis aliquot etiamnum vexaretur. Sed eheu gaudium ex reviſa chara coniuge cum prole perceptum, & poſt longam abſtinentiam coniugali officio quoque declaratum, ante finem duarum hebdomadum obſcuravit praeter opinionem, quin delevit in verendis enata labes. Initium illa coeperat ſenſu mox titillationis, mox doloris urethrae. Paucos dies poſt ſubingreſſum novi anni, mane glans humida apparuit cum ardore circa orificium urethrae & inflammatione per inſignem ab eodem diſtantiam ſeſe extendente, &, quum comprimeretur, mucum albidum eructavit, quod ſtillicidium ſponte per diem prorupit, maculas albas, flavidas, virideſcentes in linteo relinquens, cum dolorem non ſolum circa os urethrae, ſed & media eius parte, & verſus veſicae collum ſaeviente, in eiulatus uſque moleſto- & crebro mingendi conatu ſtrangurioſo. Poſtridie acceſſit dictis modo incommodis intumeſcentia glandis & praeputii; & proxime ſubſequentibus diebus, ſub aucta eluvie mucoſa ſenſim ſpiſſiori & incremento priſtinorum ſymptomatum nominatim ardoris ſub mictum, dolor tumorque in glandula infima dextri inguinis, quum attingeretur, & corpore commoto tenſionis ſenſus in eodem inguine, item lancinans ſed fugitivus in femore dextro inde a trochantere maiori. Mature quo-

que moleſtae erant erectiones colis nocturnae; quae ſomnum iam ſponte valde inquietum adhuc magis turbarunt, & conſtrictionis vel compreſſionis ani praecipue verſus anteriora ſenſus, demum obſtructio alvina. Tertio die, poſtquam profluvium primo compareret, a quo ipſo initium morbi computabo, verſus veſperam poſt pandiculationes & ſomnolentiam febris incidit, horrore, calore, ſudore & urina turbida nidoroſi odoris, ſeſe manifeſtans, quae ſexto (ſecundum hunc calculum) die noctu recruduit abſque praevio horrore ſed inſigni calore cum ſiti ſtipata, unde & dolor in antica urethrae parte inſigniter auctus & in infimam eius partem ad anum uſque protenſus. Ad quem, fere intolerabilem, mitigandum, quum venam in brachio ſiniſtro ſecandam curarem, phlogiſtica cruſta denſa tectus ſanguis apparuit, & initio dolor quidem mitior, dein iterum acutior, evaſit, nec inde decrevit febris. Iam initio profluvii, ut dolorem & mingendi difficultatem lenirem, decoctum Hordei perlati, Theam cum lacte, item infuſum panis ſecalini toſti, infuſum ſeminum Cannabis ſimiliaque copioſe bibenda ſuaſeram, &, quum haec voto non ſatis reſponderent, ſubſequentibus diebus mixturam ex oleo Amygdalarum dulcium, & Gummi arabico, exceptis aqua Petroſelini & ſyrupo, ſubiunxi.

Febre urgente emulſio, cui tantillum nitri additum erat, ingeſta. Oleoſae mixturae quoque ſubinde ad lubricandam alvum Mannam loco ſyrupi admiſcui. Verum haec omnia tentamina iuncta cum diaeta antiphlogiſtica parum modo auxilii praebuerunt, ſed praeter frequentem & difficilem mictum & ardorem vehementiorem urethrae, verſus anum praecipue urgentem, quem prae reliquis Camphora a grano dimidio ad integrum per bihoria data, ſub eo regimine, ut ſudor erumpere non poſſet, ſolabatur, rigiditas frequens doloroſa colis per noctem afflixit, in primis autem alvum egerendi conatus creber irritus cum pruritu, tenſione, ardore & obſtructione pertinaci flatibuſque ad anum ſtagnantibus aegrum miſere excruciavit. Quae quidem mala circa ſedem percepta clyſmata tepida emollientia oleoſa nonnihil mitigarunt, ſed non diutius quam haec ipſa retinerentur, etſi ſemper feces aliquot duras provocaverant, cui fini & ſubinde ſolutio Mannae & ſalis mirabilis Glauberi ſatisfecit. Inter haec exſudavit ſmegma foetidum circa glandem, glans circa urethram valde inflammata & vaſa maiora penis valde turgida, & perrexit catharrus colis per intervalla mox uberiori mox parciori rivo, & conſueta coloris varietate. Plurimum autem intereſt commemorare, in hoc decurſu aliquando fugi-

tivos dorſi dolores, nictu quaſi oculi celerius accedentes & ſeſe rurſus ſubtrahentes, incidiſſe, & per vices quoque genu ſiniſtrum, pollicis ſiniſtri pedis articulum, poſtea coxam ſiniſtram tentaſſe, in qua parte tenacius reſedit dolor, adeo ut rigiditas & claudicatio ſuccederet; aliquando & fauces doluerunt. Lotium plerumque pallidum item initio turbidum, dein autem ſedimento mucoſo deiecto pellucidum. Diaetae rigor, inſomnes noctes, metus de eventu, vires inſigniter proſtraverant, licet cibi appetitus hactenus non decreviſſet. Inter haec quidem febris quaedam indicia ſubinde conſpicua fuerunt, ſed manifeſtiori iterum impetu poſt noctem praegreſſam valde inquietam erupit tertia vice die 16. poſt prima effluvii initia, quo poſt horrorem incaluit aeger vehementer per totam diem cum cephalalgia dira in ſeram noctem pergente & mictu longe magis doloroſo & difficiliori & teneſmo multo graviori, quam per multos dies antea. Undenam haecce in peius mutatio? An a die ante ad movendum alvum, quae rariſſime ſponte ſucceſſit, data mixtura ex tinctura Rhei & ſale mirabili, cuius quidem effectus blandus fuit, an a binis vitris vini Gallici ad reſocillandas vires per prandium potis? Binis ſubſequentibus diebus ſudor matutinus foetidus attentionem praecipue in ſe convertit & digeſtionis ci-

borum ea imbecillitas, ut & Dauci radices rite emollitae non concoquerentur, detumeſcente interea praeputio ſenſim. Praecipue vero aegrum iam divexabat teneſmus fere aſſiduus cum ſenſu ardoris, tenſionis, titillationis, doloris lancinantis intra anum, ita ut, qui adhuc & poſtea perſeverabat urethrae ſub mictum, praeſertim eo exuente, dolor utut dirus, hunc pro exiguo modo tormento haberet comparatione facta cum teneſmo eiuſque triſti ſatellitio. Metuendum inde erat, ne inflammatio glandulae proſtatae ſubeſſet. Quae ſuſpicio & confirmata exploratione per anum facta; nam tumor anterius ſentiebatur ovatus, mollis, attactu dolens. Ad hunc igitur diſcutiendum ſumma ſolertia intendenda erat, Praeter ſuperius dicta itaque clyſmata emollientia ſedulo adhibita, vapores decocti ſeminum Lini admiſſi, & cataplaſma ex foliis Malvae & ſeminibus Lini, vel & additis floribus Sambuci, perinaeo tepide & diligenter applicatum; infuſi ſeminum Cannabis etiam plus quam antea ingeſtum. Levamen inde inſigne conciliatum aegro, praecipue ſub corporis ſitu ſupino, quum contra ea ſeſſio vel ſtatio & deambulatio moleſtias valdopere augeret. Novum iam in lotio phaenomenon apparuit, ſcilicet laciniae quaſi membranaceae, item fila fluctuantia. Die 22. inflammationi proſtatae acceſſit

ſebris (quae ipſa quarto per decurſum deſcriptum obrepſit) eaque valida, ad quam refrenandam venae ſectio adminiſtrata ſanguine valde phlogiſtico, item emulſio nitrata per aliquot dies ingeſta. Hiſce, potulentis blandis, & emollientibus admotis, ſub ſummo diaetae rigore, ſuccedente & urina critica, diſparuit inflammatio, teneſmus miteſcere coepit, lotium uberius fluxit & aliquando ſine dolore, alvus ſubinde ſponte ſoluta, etſi plerumque dura fecibus non cohaerentibus & fruſtula plana criſtata referentibus, muci excretio parcior & modo per vices copioſior, remanente tamen tenſione urethrae praeprimis in perinaeo & ſub tactum doloroſa item rubedine & ardore circa urethrae orificium; mentis quoque hilaritas rediit.

Inter haecce bona ſigna autem me anxium valdopere reddidit ſuperſtes tumor proſtatae iam, d. 26., pyriformis, indolens, durus, latitudinis quatuor tranſverſorum digitorum, latiori extremo ſurſum verſo. Nullum amplius dubium ſupererat, ex inflammatione proſtatam in tumorem durum tranſiiſſe. Lotio ſaepe turbidum craſſum foetens, plerumque tamen pallidum, ſed ſemper dictis laciniis filiſque refertum, in hac nova ſcena comparuit. Quid in iſta proſtatae induratione extractum Cicutae valeret, tentare iam conſtitui incitatus laudibus, quibus illud cl. CLERK in

arthritide anomala cumulaverat, a qua omnes in hocce aegro ſubortas miſerias derivabam, & ſpe fretus, fore ut hocce remedio tumor ipſe, utpote adhuc recens, diſſipari poſſet. Aſt extracti etiamſi unciis tribus cum dimidia conſumtis, initio parvis doſibus factis, neque decrevit nec mollior evaſit tumor, ſed ſenſim, quod adhuc magis ſollicitum reddidit animum, formicationis punctionis vel tenſionis aliuſque moleſtus ſenſus ſeſe aſſociavit. Unicus effectus, quem praeſtitit Cicuta, fuit in pellendo lotio, & quum ſcrupuli duo extracti per diem ingererentur, caput nonnihil tentatum. Quod gonorrhoeae ſymptomata ſenſim diſparerent, profluvium craſſum albicans in pellucidum & fluidius tranſiret, erectiones colis ſeriores dolore deſtituerentur eiuſque incurvatio ſub iiſdem pariter ceſſaret: haec omnia etiam abſque Cicuta potuiſſe impetrari, nullum dubium eſt. Singulare, & licet aeger ſub abſtinentia longiori pollutionibus nocturnis alias ſaepius tentaretur, ſub tanto ſtimulo tamen iiſdem per ſeſquimenſem caruiſſe, compreſſis ſine dubio per tumorem viis, per quas ſperma tranſire poſſet. Verum & haſce poſtea patulas evaſiſſe, effectus docuit. Nec plus praeſtitit ſubſtituta dein miſcela ex extractis Cicutae & Corticis Peruviani, ſed contra ea pedetentim magis protuberare incepit tumor, ita tamen, ut nunquam peri-

naeum protruderet, & teneſmi moleſti recrudue-
runt. Suſpecta quoque adhuc magis reddebatur aegri conditio, quum veſperi per plures dies febricula emergeret.

Cicutae igitur poſt menſis fere integri uſum d. 20. Martii Tincturam antimonii THEDENII ſubſtitui, prout in altero pharmacopoliorum noſtrorum parata erat, a guttis decem bis per diem ad guttas viginti ter per diem capiendam. Sub eius uſu abundantius lotium manavit, itidem membranulis filiſque vel nebula mucoſa mixtum, ſed alvus ſubinde ſtricta, quod ſi fieret, durior & prominentior tumor ſentiebatur, eliminatis autem fecibus cum flatibus antea in inteſtino collectis mollior & planior. Superſtites adhuc materiae arthriticae inſidias declaravit fugitivus mox in dextro, mox in ſiniſtro genu aliquando perceptus dolor. Decimo etiam die poſt captam hancce tincturam nodulum caeruleum magnitudine piſi prope anum aeger animadvertit, cuius neque aliorum haemorrhoidalium ſymptomatum veſtigia ulla antea adfuerunt. Poſt continuatam ultra tres hebdomades hanc medicinam, ita tamen, ut uno vel altero die negligeretur, manifeſte quidem decreviſſe tumor viſus eſt, attamen, etſi doloris expers, tenſionis & ponderis ſenſu & retardatione deiectionum alvinarum moleſtus eſſe perrexit.

Quum vero nodulus prope ſedem perſeveraret & per vices vagi dolores arthritici infeſtarent, hirudines circa anum applicandas & tincturae antimoniali Gummi Guaiaci interpolandum die 17. Aprilis decrevi. Inter plures hirudines, quarum tum heic aderat penuria, una modo adhaeſit nodulo, eo tamen effectu, ut admiſſis vaporibus aquae calidae ſanguis per 1 $\frac{1}{2}$ horam poſtea ſtillaret in debilitationem aegri uſque notabilem. Gummi Guai. praeſcripſi vel in pilulis ex Gummi huius, vel potius Reſinae, uncia dimidia & Saponis Alonienſis (Alicantini vulgo) non rancidi drachma una, quarum, pulvere radicis Glyeyrrhizae probe ſubactarum (ne in ſcatula concreſcerent), decem, ponderis granorum duorum, mane & totidem veſperi ſumtae; vel in mixtura ex Gummi Guai. uncia dimidia, Gummi arabici drachma una ſ. vitelli ovorum q. ſ., aquae Petroſelini unciis quinque, Saponis Alonienſis drachma una, Syrupi capillorum veneris uncia dimidia, cuius mixturae cochlearia duo dictis temporibus ingeſta. Ex hiſce enim doſibus duae vel tres alvi deiectiones pro ſcopo ſubſequutae. Melius quidem ſolvebatur Gummi Guaiaci vitello ovi, quam Gummi arabico, ſed ſapor longe ingratior, unde & aegro forma pilularis longe magis placuit, eamque alternatim cum mixtura conceſſi; pilulis tamen non aeque ex voto

alvus reſpondit. Iunctus cum Gummi Guaiaci potus copioſus aquoſus, qui tamen non prohibuit, ne tempeſtate calidiori incidente corpus ingrate incaleſceret, congeſtiones ad caput fierent, anxietas ſentiretur & nocturna quies turbaretur. Ex protracto eius uſu quoque ventriculus labefactari coepit. Differre hinc medelam per aliquod tempus conſtitutum: ſed vix abſtinuerat aeger ea per triduum, quum rediret punctio & pulſatio intra anum & profluvium urethrae, quod quidem per totum hoc ſpatium non omnino ſiluerat, preſſione glandis potius emulgendum quam ſponte erumpens, mox albidius mox tenuius. Fatendum tamen in iracundiam conceptam, cuius cauſſa crebra dabatur, partem culpae eſſe coniiciendam. Applicari ideo octo hirudines iuſſi, aliunde petitas, quae ipſe non ſolum intra ſemihoram avide ſanguinem hauſerunt, ſed & delapſae eius per duas horas ſtillicidium reliquerunt, ex quo diſpendio aeger languorem haud mediocrem paſſus eſt. Tum demum ad Gummi Guaiaci & Tincturae antimonii uſum reverſum eſt, qui ipſe per duodecim fere hebdomades continuatus, conſumtis in univerſum Tincturae antimonialis unciis duabus & dimidia, & Gummi Guaiaci unciis fere quatuor in miſcela ſaponis. Praeſtitiſſet ſine dubio, curationis hocce genus diutius protrahere & renovare iſtud

poſt aliquod tempus ad fomitem arthriticum omnino ſubigendum & eliminandum. Sed vires coctionis inde valdopere laedebantur, ut & iis ſubvenire elixiriis amaris oporteret. Et quum nihil ſupereſſet priſtinorum incommodorum, quam rubedo circa orificium urethrae ſubinde cum pruritu iuncta, guttula alba mane ex eadem protuberans & fluctuatio laminarum vel filorum in lotio: finis medicationi impoſitus eſt. Adiuvit ſine dubio eius efficaciam aeſtas calidior, ſub qua calor per plures dies ad 80. immo 94. gr. Fahr. aſcendit, unde inſudavit aeger copioſiſſime. Pars quoque materiae arthriticae lotio critico videtur eliminata per decurſum morbi fuiſſe: etenim iumentoſum aliquando apparuit lotium, craſſum, foetens, ut de mollitie alvi, quae ope Gi. Guaiaci alebatur, nihil dicam. Verſus autumnum quidem & hieme ſubſequente novos arthritidis vagae inſultus aeger ſenſit, item anno poſtea, quin etiamnum nonnumquam aliquot eius veſtigia leviora ſeſe exſerunt, verum a mucoſo profluvio omnino liber evaſit, modo quod ſubinde adhuc tenella fila in lotio conſpiciantur. Aſt quod curationis faſtigium fuit, nimirum, ut carcinoma proſtatae exitioſum averteretur, id divina auxiliante gratia attigi. Et inſuper cruciatus arthritici, praecipue doloroſa iſchias, longe rarius poſtea & mitius aegrum afflixerunt.

In

In narrationem hancce multis commentari, non opus eſt. Id ſane ex ea conſtat, fontis arthritici labem verendorum fuiſſe, cui molimen haemorrhoidale aliquid virium adderet. Etenim, quoad materiem arthriticam, haec ipſa tam ante, quam ſub ipſum decurſum immo & poſtea ſeſe declaravit, mitius vero affecit aegrum hacce metaſtaſi facta & arte ſenſim devicta; ſana inter haec uxore, Duplex forſitan ſubfuit cauſſa, quae illam ad locum affectum allexit, ſcilicet officium coniugale poſt longam abſtinentiam & leucorrhoea uxoris, utut mitis. Attrocia vero tanta in aegrum ſaeviit, ut vix cederet tormentis ex gonorrhoea venerea graviſſimis; quin non ſubſiſteret pone glandem, ſed ipſam proſtatam in connubium traheret, & quatuor manifeſtos inſultus febriles ſuſcitaret. Quam in muci urethrae colore varietatem animadverti, & quae in ſimili affectu venereo ſemper cernitur, haec muco in univerſum communis eſt, narium quoque & pulmonum, ex quibus ſcreatu reiectus, viridis pariter mihi pluries occurrit, ut inde nulla ſingularis malignitas in huius generis affectionibus colligi poſſit. Id quoque in hoc aegro obſervavi, licet albus initio eſſet, ſiccatum adſciviſſe colorem viridem. Filorum & pelliculárum in lotio origines fateor mihi obſcuras eſſe, an in ipſa veſica urinaria enatae? an

ex mora muci in urethra collapſa vel compreſſa per proſtatam tumidam hic ipſe ad latera concrevit, dein rivo a tergo urgentis lotii deraſus? Per ductulos proſtatae in urethram delatas eſſe, vix probabile. Mucoſae naturae fuiſſe nec ramenta membranae internae urethrae acrimoniae vi eroſae, cognovi colatione, qua facta in puriformem materiam conteri & reſolvi ſeſe patiebantur. Similia fila ex haemorrhoidibus albis veſicae in lotio conſpecta (*a*). Mirum auctores, qui ex inſtituto de gonorrhoea venerea egerunt, vix horum filorum mentionem inieciſſe, in qua tamen quoque aliquando comparent (*b*). Dolor in alterutro inguine & teſte, item in ſumma cute femoris cum tumore in eiuſdem inguinis glandula, conſenſualis modo fuit. Quod recruduerit mingendi difficultas, quae iam ceſſare videbatur, intumeſcentiae glandulae proſtatae tribuas, utquae preſſione ſua iter lotio intercepit (*c*). Obſtructiones huius glandulae quantum

---

(*a*) FR. HOFFMANNI *Oper. omn. phyſ. med. Tom.* 4. *Caſ.* 88. in *Conſult. & reſp. med. p.* 277. ubi tunica interior arroſa & excoriata, ſed perperam accuſatur; & *Caſ.* 93. *p.* 283.

(*b*) Memorat eadem HALLERUS in *Element. phyſiol. Tom. I. p.* 476.

(*c*) Legi de hac cauſſa ſtranguriae merentur caſus a cl. FABRE (*Novelles Obſervations ſur les maladies veneriennes*, *p.* 20. *ſeqq.*) conſignati;

periculi ſecum ferant, tam ex fabrica eius ſingulari, quae tenacem ſtipatam telam celluloſam conſtituit, immo ſcirrhoſam carnem, cognoſcitur, quam ex eventu, niſi inflammatio praegreſſa tempeſtive diſcutiatur. Abſceſſus ſcilicet, fiſtulae, ſcirrhi, fungi, cancri, haud rari pediſſequi ſunt, rarius gangraena malum terminat. Forma tumoris, quam deſcripſi, probe reſpondet figurae proſtatae naturali, utque verſus veſicam latior; hinc ſuperiori parte digitus explorans latiorem deprehendit.

Quod ad curationem attinet: ad duplicem periodum, nempe inflammationis in urethra & dein in proſtata contingentis, & indurationis huius glandulae, reſpiciendum erat.

Primum igitur non alia poteram moliri, quam quae & in gonorrhoea venerea opportuna ſunt, ut nimirum, ſub rigore diaetae, potulentis aquoſis blande involuentibus acre vellicans dilueretur, obtunderetur & cum lotio eliminaretur; &, quum manifeſtior evaſiſſet inflammatio, ut haecce praeterquam potulentis dictis,

---

quod malum alias in gonorrhoea ex inflammatione urethrae, & ſerius a collapſo interno eius pariete, proficiſcitur, cui cereoli optime medentur. Nam tuberculorum ſ. caruncularum progenies valde rara eſt. — Cfr. & MORGAGNI *de ſed. & cauſ. morb. Epiſt.* 41. *Art.* 13. 14.

venae ſectione, acidiuſculis, nitri & camphorae parca copia, & externis emollientibus & diſcutientibus ſubigeretur. Pro potu & ego ſeminum Cannabis infuſum (quod fere aquoſum lacteſcens apparet, ſupernatantibus globulis oleoſis) efficaciſſimum in leniendo ardoris in urethra ſenſu reperi, quum illis & mucilaginoſae & oleoſae partes cum anodynis inſint; ſed palato valdopere diſplicet. Nitrum & medicamina alvum per os purgantia, utut blanda, haud ſine ſtimuli augmento vim ſuam exſeruerunt, oleoſae mixturae autem illum egregie mitigarunt.

Verum induratione proſtatae percepta, deflectere a vulgari norma, nec ſolum diſcuſſionis tumoris ſed & cauſſae arthriticae rationem habere oportuit. Cicutae non diu inſtiti, effectu deſtitutus, &, quoniam ipſe CLERKIUS inter laudes faſſus fuerat ſaepe non iuvare, annuente quoque WHYTTIO (*a*). Hirudines applicare e re duxiſſem, etiamſi abfuiſſent indicia iſta pauca haemorrhoidum latentium, memor laudum, quas ill. MORGAGNI (*b*) iiſdem in tumoribus proſtatae impertit. In tincturam autem antimonialem THEDENII inſignem fiduciam collocavi, lectis

---

(*a*) *Eſſ. and Obſerv. phyſ. & lit. Vol.* 3. *p.* 469.
(*b*) *L. c. Epiſt.* 41. *Art.* 11. 14.

paullo ante hiſtoriis, quas meritiſſimus hic ſenex de efficacia eius in obſtructionibus glandularum tam internarum, quam externarum & doloribus arthriticis evulgaverat (*a*). Hocce praeconio in-

(*a*) *N. Bemerk. u. Erfahr. z. Bereicherung. d. Wundarzn. u. Arzneyg. T.* 2. *p.* 87. *ſeqq.*

(*) Pro illis, quibus egregii THEDENII Opera Chirurgica, Germanico idiomate conſcripta, his in terris ignota manſerunt, Compoſitionis modum, quo in paranda hac tinctura utitur auctor, hic traditurus ſum. Recipit nempe Antimonii electi, ſtriati, *libras duas*, — Salis Alcali *libras ſex*: pulveriſata & mixta ingerit ſucceſſive crucibulo candenti: poſtea fuſam hanc maſſam in mortarium ferreum effundens, eandem adhuc ignitam in pulverem contundit. Hunc, vaſi terreo maiori infert, quod ipſum patinae magnae imponitur: atque nunc aceti concentratiſſimi ſufficientem quantitatem, ad perfectam uſque ſaturationem, ſucceſſive affundit. Peracta ſaturatione, evaporari ſinit in balneo mariae omne liquidum, atque reſiduam maſſam ſic exſiccatam, poſtquam refriguerit, cum ſpiritu Vini rectificatiſſimo diluit iterum, & in duas partes diviſam, duabus cucurbitis immittit, mortarium eodem Alcohole eluit, hocque prioribus affundit; quo opere *ſex* fere Alcoholis *librae* ſic impenduntur. Cucurbitâ alembico vitreo bene munita, ope balnei mariae, ſpiritum nunc deſtillat, quem denuo cucurbitae reponens, trigeſies cohobare ſtudet. Ubi imminuitur liquidum; Alcohol de novo affunditur, atque ſic, ut *duas* fere *libras tincturae* lucraretur, *ſexdecim* fere *libras* Alcoholis ſucceſſive affundendum fuiſſe obſervavit THEDENIUS. Virtus huius

citatus litteris illi perſcripſi caſum, meae curae tum ſubmiſſum, ad quas reſpondens, & iudicium meum de origine morbi & medendi methodo confirmavit, & unciam unam tincturae antimonii a ſe ipſo paratae ſimul mihi miſit, adiuncta ſuccincta expoſitione caſuum aliquot ſimilium ſibi obviorum, de qua paullo poſt ube-

---

remedii angetur, inquit, ubi per *tres menſes* inſtituitur in balneo cinerum digeſtio, ita quidem ut primo menſe *unius* lampadis, ſecundo, *duarum*, tertio, *trium* lampadum foco utamur, ſub qua methodo, nonniſi *unica* tincturae *libra* remanet. Ex reſiduo, aqua pluviali eloto, optima dein parari poteſt terra foliata tartari & Sapo alios virtute ſua longe ſuperans. Saponaceam huius tincturae naturam eſſe, monet THEDENIUS, ut quae ex ſulphure antimonii, oleo vini, & terra foliata tartari componatur. Per Acetum, inquit, ita praeparatur ſulphur, ut, ope alcali, cum ſpiritu ardente queat combinari; ſpiritus vini Alcoholiſatus per frequentem cohobationem convertitur in oleum vini, & oleoſum hoc principium, tam ipſam hanc tincturam largitur ſaponaceam, quam ſaponem praedictum. Mei non eſt huius ratiocinii Chymici validitatem examinare; ſufficit, cum fructu hoc medicamentum fuiſſe adhibitum in obſtructionibus glandularum partium tum internarum, tum externarum. Ad viii. vel x. guttas quotidie porrectum, ſudorem movet, & urinam auget; alvum vero, in doſi quidquam aucta, leniter ſtimulat, dolores rheumaticos tollit, & in viſcerum obſtructionibus valde proficuum eſt: quos effectus variis obſervationibus comprobat THEDENIUS l. c.

rius dicam. Diſcrepabat eius tinctura valde ab illa venali pharmacopolii noſtri academici, quam ante praeceperam; illa enim longe obſcurior erat ſaporis ſaponaceo ſalini, nec ardentem ſenſum ori, vel faucibus impreſſit, prout haec, ita ut vix veſtigium alcoholis ſapore cognoſceretur. Quae, hac quantitate conſumta, in uſum trahebatur ex dicto pharmacopolio petita propius ad eam Berolino miſſam accedebat. Nolo hic diſquirere, an huic tincturae vere particulae regulinae antimonii inſint, quod mihi quidem probabile, nec ne, de qua re diſcidium proximis hiſce annis enatum: ſaltim plura praeſtitit, quam quae a ſolutione mera terrae foliatae tartari in ſpiritu vini exſpectari poſſint. Gummi Guaiaci uſum coniungere, explorata eius ſerioribus praeprimis annis efficacia antarthritica valde ſuaſit. Loco ſaponis amygdalini, cum quo cel. THEDEN (*a*) gummi hoc commiſcere ſolet (*), quoniam hic non proſtat, ſaponem Alonienſem adieci.

(*a*) *L. c. p.* 204.
(*) Sic praeſcribit THEDENIUS: R. Gummi Guaiaci, *unciam unam*, Saponis amygdalini, *drachmas duas*. M. f. pil. gr. III. cap. X---XIII. tam mane, quam ad noctem.

§. XV.

Subiungam narrationi huic aliquot alias de eodem morbi generere, ut tanto certius conſtet, me in hiſtoria, quam ſupra (Sect. I.) praeſtiti, univerſaliori, imaginem ipſius naturae, nec ludentis fingentiſque ingenii, ſub ſpecie veri, expreſſiſſe. Non autem heic eos auctores curo, qui ſimplici effato ſe gonorrhoeam arthriticam vidiſſe rem expediunt, ſed caſus per partes conſideratos in re tanti momenti nec vulgaris obſervationis requiro, ut fides extra dubium ponatur.

In litteris THEDENII, quas modo commemoravi, vir aeſtumatiſſimus certiorem me fecit, ſibi ſeptem vel octo caſus ſimilis fere indolis, ac iſte, quem, iam deſcriptum, illi ſignificaveram, obveniſſe. Horum tres exitum habuerunt infauſtum, licet acciti fuiſſent medici peritiſſimi, cum malum in carcinoma proſtatae inveteratum, quod & in anum, & perinaeum vim ſuam ſparſerat, tranſiiſſet. Reliqui ſanitati reſtituti, quamvis in duobus eluvies urethrae remanſerit, quae ipſa non tam pro gonorrhoea, quam potius pro haemorrhoidibus mucoſis urethrae habenda erat, quibus pariter materies arthritica vel rheumatica ſeſe adſociaſſet. Addit, remedia ſupra a me indicata hiſce plurimum auxilii attuliſſe.

§. XVI.

Reliqua, quae ſubſequentur exempla, quorum ſumma modo capita enucleabo, malum quidem mitiori impetu gravans ſiſtunt, ſed huius omnino loci.

Ita narrante fratre cariſſ. ADOLPHO MURRAY, Profeſſore med. Upſ., cl. HERRENSVANDT, medico Pariſienſi, obvenit vir arthriticus, qui ſub febre maligna ex urethra profluvium viridi flavum cum nigro mixtum habuit neutiquam venereum nec ſtranguria iunctum, quod ipſum tandem febre ſublata abſque ullis malis ſequelis ceſſavit.

Alius vir, lumbagine variiſque ſymptomatibus arthriticis paſſim correptus, exiguum urethrae profluvium aliquoties recurrens expertus eſt cum dolore in inguine ſiniſtro, qui ſubinde in teſtem eiuſdem lateris ſeſe extendit (*a*). Idem, qui haec memoriae prodidit, fide digniſſimus WHYTTIUS, ſignificat, arthritidem mox dyſuria difficili mox pruritu ſcroti moleſto anomaliam ſuam demonſtraſſe. In tribus aegris dolor acutus teſtium ex eadem cauſſa enatus erat, iuncta in horum uno intumeſcentia teſtium inſi-

---

(*a*) WHYTT *in Works p.* 556. *&* 561., *& Eſſays & Obſerv. phyſ. & lit. Vol.* 3. *p.* 468.

gni : ſed arthritide in pedes translata utrumque incommodum periit .

Foemina innupta (*a*) , olim & fluore albo modice detenta , pollici pedis ſuo dolenti & tumenti ſpiritum vini infricuit , unde retroceſſit arthritis in dorſum , & quum & hocce inepte ſpiritu eodem oblineret , praeter nauſeam vomitum & tormina ſubſequuta eſt ſtranguria pertinax , repetitis vicibus cum reliquis dictis affligens , tandem ſola ſuperſtes , reſuſcitata in genubus arthritide ; nam ad pollices pedum deſcenſus nulla arte promoveri potuit .

Aliam foeminam innuptam (*b*) ex arthritide anomala inter alia redundantis intro mali ſigna , ſtranguria ſubinde male habuit , qua praeſente a reliquis incommodis vel omnino libera exſtitit vel mitius iiſdem affecta .

Iterum alia foemina (*c*) podagrae mitibus inſultibus per aliquot annos laboravit , quos ipſos fugare ſolebat pedibus gelidae aquae immiſſis . Tandem poenam imprudentiae ſuae luit ſpaſmis aliiſque incommodis ventriculi , accedente miti ſtranguria . Fluori quoque albo etiam obnoxia fuit .

(*a*) *L. c. p.* 433.
(*b*) *L. c.*
(*c*) CLERK *in Eſſ. and Obſ. phyſ. and liter. l. c. p.* 429.

Vir quidam ex patre arthritico natus (*a*), refrigerio ſpaſmos inteſtinorum & mingendi difficultatem per plures annos durantem contraxit, ſed abſque dolore comitante, Cicuta praecipue curatus.

Propius reliquis proxime dictis ad caſum mihimet ipſi obvium accedit ille (*b*) viri, quem poſt varia ventriculi incommoda & podagrae mites inſultus, quum iſta citius ſueto ceſſarent, gonorrhoea copioſa ex muco male colorato nec ſpiſſo, abſque ſtranguria, & ardore urethrae vexavit. Intra decem vel quatuordecim dies quidem convaluit, ſed ſucceſſit, forſitan & arthritica de cauſſa, inſignis intumeſcentia & inflammatio teſtis, a qua pariter liberatus fuit abſque ullius mercurialis medicinae auxilio.

Eiuſdem originis fuit ſanies iſta foetida (*c*) inter glandem & praeputium ex glandulis ſebaceis in viro quodam caſto, pluries per multos annos cum pruritu moleſto, & inflammatione praeputii exundans, poſtquam rheumatiſmum in pectore ex refrigerio conceperat hocque paralyſin crurum per tempus creaverat.

(*a*) *L. c. p.* 434.
(*b*) *L. c. p.* 438.
(*c*) POUTEAV *Oeuvres poſthumes T. I. p.* 357. *p.* 360.

Idem vitium verendi contraxerat vir quidam (*a*), qui, redux ex itinere aliquot menſium, amplexibus uxoris amabilis & culpa omni carentis ſeſe dederat. Dolores iſchiadicos mites antea ſenſerat, qui ipſi poſt eluviem ſignificatam diu ſiluerunt, donec in pectus translocarentur.

In mercatore quodam (*b*), praeter hancce ſpurcitiem pluries redeuntem, ex materiae exundantis acrimonia excoriatio internae tunicae praeputii enata erat, & hocce phymoſin minabatur. Poſtquam viduus factus fuerat, non rediit gonorrhoea iſta ſpuria, ſed eius in locum herpes doloreſque cum intumeſcentia faucium ſucceſſerunt (*).

(*a*) *L. c. p.* 361.
(*b*) *L. c. p.* 363.
(*) Quamvis multorum adfectuum, quibus genitalia Virorum ſubiiciuntur, clavem teneant mulieres, quam Medicorum in mali originem inquirentium, manibus tam facile non confidunt; facile tamen mihi eſſet, ex propria experientia plura his adiicere, quae materiae *arthriticae* ad genitalia depoſitae frequentiam, abſque dubio poſſent demonſtrare; ſed pauca ſufficiant. Vir quinquagenarius, vitam ſedentariam, maxime regularem ducens, a multis retro annis ſaepius arthritide vaga adfectus, conſilium meum ante aliquot annos, datis ad me litteris, petiit: quas ipſas, cum egregie morbum depingant, ex parte hic inſeram: „ Au coummencement du mois de Maj je ſentis una propenſion inſolite d' uriner. Cette envie preſ-

que continuelle, accompagnée d'un Ecoulement précipité de l'urine ſans pouvoir la retenir, & d'une chaleur tranchante dans le gland ou prépuce au depart de la derniere goutte, ſe manifeſta particulierment *aprés la digeſtion du diner*, c'eſt à dire depuis 5. juſqu'à 8. heures du ſoir, que je fus quelque fois obligé de lâcher l'eau juſqu'à dix fois, avec quelques gouttes ſeulement. Je ſentois en même tems de fortes incommodités au teſticule gauche (les memes, dont j'avois toujours été ſoulagé par le coit) & que je n'avois plus vû ma femme depuis ſix mois, je me perſuadois que toute mon incommodité venoit de cette cauſe, & je vis quelques fois ma femme: mais mon mal, au lieu de diminuer, augmenta. Je fûs donc conſulter mon Médecin ordinair, qui me dit, que mon mal venoit des hemorrhoides; que j'avois mal fait d'avoir uſé du coit, qu'il falloit commencer mon traitement par la ſimple diete, en m'abſtenant de toutes choſes échauffantes. Je fûs d'autant plus convaincu de la ſolidité de ce raiſonnement, que j'avois des tubercules au fondement, & que j'avois des reſſentimens, quoique foibles d'hemorrhoides. Mais une diete de ſix jours ne fit point de changement. Surquoi le Médecin me fit mettre des ſangſues à l'anus, qui emporterent tant de ſang, que j'en eus quelques heures aprés une petite foibleſſe: mais elles n'enleverent pas le mal des parties urinales, ce qui determina le Médecin à une pondre compoſée de magneſie, rhubarbe & ſouffre naturel. Elle me donna quelques ſelles, & me ſoulagea un peu. Aprés l'avoir repetée quelques fois, il me donna une mixture compoſée d'ecorce de Perou, de Rhubarbe & de liqueur dulcifié de nitre: j'en fûs quelques jours fort bien; le Médecin m'ordonna de reprendre le vin avec moitié Eau: mais le troiſieme jour, je me retrouvois dans le prémier état. On crut trouver le membre génitale

un peu enflammé, & le Médecin me condamna au lit, me mit à l' eau de ris & aux bouillons d' orge. Il me fit faire quatre fois par jour des injections avec de l' huile d' amandes douces, & de la gomme Arabique, en me faiſſant en même tems prendre une Emulſion de cette même gomme, avec l' ecorce de Perou, & l' eſprit de nitre dulcifié, en m' appliquant des compreſſes d' eau de *Goulard* ſur le gland du membre avec deux lavemens par jour. Ce traitement continué pendant dix jour ayant été ſans éffet, le Médecin me fit injecter de l' eau de *Goulard*, en faiſſant baigner le membre dans du lait tiede : mais les bains ne purent pas empecher les conſtrictions cauſées par l' eau de *Goulard*, que je ne pouvois plus ſoutenir. On abandonna les injections, en conſervant les bains; on abandonna meme la mixture de la gomme Arabique, & l' on reprit ſucceſſivement la prémiere poudre, & la prémiere mixture. Ce troiſieme traitement continué pendant 15. jours, ayant été également infructueux, le Médecin me donna une poudre compoſée de racine de Columbo, de rhubarbe, de magneſia, de ſel de Glauber, & de ſouffre naturel; il m' ordonna de boire moitié vin & moitié eau : parceque je deperiſſois à vû d' oeil; & je ſuivis cette ordonnance prés de trois ſemaines. Je regagnois un peu de vie & de forces; mais mon mal originaire ſubſiſtoit toujours. Mon Médecin prennant mon mal pour un engorgement de la glande proſtate, m' ordonna enfin l' onguent mercuriel avec la camphre. J' en eus un prémier effet à la quatriem onction, qui étoit l' augmentation du depot blanc dans mes urines, lequel depot ſubſiſte encore : j' en eus un ſecond éffet, qui étoit un plus grand penchant à uriner qu' auparavant; & ce ſecond éffet dure auſſi : mais je n' en eus pas celui que je deſirois, qui étoit ma gueriſon de mon relachement & de mes brulures tranchantes.

I le dis au Médecin aprés la conſommation de l'onguent qu'il m'avoit préſcrit, & qui a duré 15. jours. On me fit donc quitter tout remede & m'ordonnat de me laver avec de l'eau fraiche au périné. Mais depuis 6. ſemaines, que cette derniere Epoque dure, je n'ai pas encore obtenu la gueriſon; jen ſuis au contraire là, ou j'en étois les prémiers momens. Telle eſt Monſieur ma longue & ennuyante hiſtoire! je n'ajouterai plus que quelques mots, pour bien vous tracer ma ſituation actuelle, & vous faire quelques obſervations. J'ai *trois* ſenſations, dont les unes paroiſſent produire & faire agir les autres: au *fondement*, an *membre génital*, aux *teſticules*. Au fondement, j'ai toujours des tubercules, ſouvent des demangeaiſons, preſque toujours des envies d'aller à la ſelle; cependant j'y vais toujours avec peine, ajant le plus ſouvent des chaleurs fortes à l'anus aprés l'evacuation des excrémens. Au membre génital, j'ac une propenſion à uriner preſque continuelle; un relachement, qui ne me laiſſe pas la faculté d'arrêter l'eau un inſtant quand elle veut partir: une brulure tranchante au gland à l'écoulement de la derniere goutte; un grand ſoulagement, quand j'ai fini d'uriner: mais une minute aprés une ardeur durante dans le membre. *Mon urine eſt blanchatre & trouble en partant: Quelques heures après, elle eſt d'un jaune claire comme du Citron, avec un depot blanc comme du lait, mais point conſidérable, & fort leger*. Au teſticules, j'ai ſouvent un mal ſourd, mais trés ſenſible, qui me paroit gonflement & plenitude: j'en ſuis ſoulagé, quand ma chemiſe ſe colle un peu, ce qui me paroit un effort de pollution: mais ces efforts paroiſſent trop foibles pour l'effectuer d'eux memes, & j'ai toujours eu ce mal, quand le tempérament a voulu le coit: du moins m'a-t-il toujours gueri: car je n'ai jamais pris les deſires pour des beſoins. J'ai

toujours eu bon appetit; j' aurois bon ſomeil, ſi mon incommodité ne m' éveilloit pas ſouvent, & ne ſens aucune autre incommoditè, *pas meme mes maux arthritiques*, *&c.* " Reſpondi aegroto, me protinus dubitare non poſſe de *facta materiae arthriticae ad vias urinales glandulamque proſtatam metaſtaſi*: eiuſmodi metaſtaſes frequentes ſatis eſſe, uti calculos, in iis, qui arthritide longaeva laborarent: magnam intercedere inter utrumque morbum affinitatem, & curam in illis hic ponendam eſſe, quae priſtinos artuum dolores revocent, & arthriticam materiam a viis urinalibus avertant. Quare balnea tepidiuſcula potumque leniter diapnoicum conſului, praeterhaec vero iuſſi, ut Gummi Guaiaci, *uncia una*, cum Saponis amygdalini, *drachmis duabus*, combinata, in pilulas redigeretur, quarum mane & veſperi *grana* XXX --- XL. aſſumerentur: certus, haec omnia praedicta ſymptomata non niſi unicam cauſſam eamque arthriticam materiam, agnoſcere. Alterum exemplum, recentius, viri eſt, pro quo meum non ita pridem conſilium erat expetitum. Hic ante duodecim annos gonorrhoeam malignam perpeſſus, & ab ea recte curatus eſt. Nupſit mulieri ſanae, quae, ſemper felici ſalute gaudens, proles plures ſanaſque peperit, ſi parvas, in una, glandularum iugularium obſtructiones excipiamus. Hic vir, per duodecim annos nec minimam morbi partem perſentiens, hoc ipſo anno, poſtquam, a pluvia madefactus, refrigerio ſeſe expoſuiſſet, ophthalmia correptus eſt, quae, antequam gonorrhoea illa fuiſſet adfectus, & a iuventute iam ſaepius, ſed leniter eundem adfligebat. Artus quoque in die, nocte minus, dolebant. Subito haec ceſſaverunt: ſed *gonorrhoea* nata eſt, malignae in omnibus ſimilis, nullo omnino concubitu adepta: uxor enim ſaniſſima, vix pepererat; nec a multis retro ſeptimanis a marito frequentata. Neque huic ratio illa fuit, cur, dum mihi plane eſſet ignotus, origi-

originem morbi aliam, ſi ſuſpectam agnoviſſet, non adperuiſſet. Non quidem ignoro, latere poſſe per ſat longum ſpatium, labem veneream; ſed duodecim annis in ſubiecto noſtro latuiſſe, ſignum nullum edidiſſe, mulieri nunquam neque prolibus communicatam fuiſſe, certe probabile non eſt. Cum nec ophthalmia, ab infantia iam accedere ſolita, neque dolores artuum, noctu ſilentes, breviſſimae durationis, dubium aliquod movere potuerint; atque omnia potius arthriticam morbi naturam atque ortum ex materia rheumatica, poſt refrigerium, primo ad oculos & artus, dein ad urethram depoſita, docuerint. Sed & gonorrhoeae & bubonis exemplum, hoc ipſo anno, in Schola *Clinica*, Auditoribus meis demonſtravi iu iuvene arthritidi obnoxio, qui rem cum muliere nullam prius habuerat. Fidem huic aſſertioni denegaverim? . . . denegaſſem certe; niſi aegrotus peiora longe confeſſus fuiſſet, quam quae ipſi conſitenda ſupermanſiſſent: *onanitico* enim crimini ſe a longo tempore deditum fuiſſe non erubeſcenti confiteri, cur innocentius cum puella commercium, ignotus nobis, pertinaciter celaret, cauſſa omnino eſſe non potuit. Neque certe video, cur tot argumenta hic adcumulanda ſint ad probandum, aliam ſaepiſſime materiam, quam quae ex muliebri ſinu propullulat, *gonorrhoeam*, ſeu catarrhum illum membranae mucoſae in urethra producere. Maior *gonorrhoeae* aut minor intenſio, non a ſolius materiae ad urethram depoſitae differentia dependet; ſed a ſubiecti ab ea irritati ſenſilitate & in inflammationem diſpoſitione maiori aut minori: eadem certe meretrix hunc gravi, illum miti gonorrhoea balanum coronat, vellemque ut *malignae* nomen vel non ſoli, quae ex concubitu impuro naſcitur *gonorrhoeae*, vel omnino omnibus aliis concederetur, quae, ex variis cauſſis natae, illi, ſymptomatum ferocia & duratione, ne hilum quidem cedunt.

CAROLUS IOSEPH OEHME
DRESDENSIS
DE
MORBIS RECENS NATORUM CHIRURGICIS
Lipsiae 1783. (*).

§. I.

Instituti ratio.

EA eſt hominis a prima nativitate conditio, ut innumeris morbis afficiatur: quorum attenta conſideratione excitati non ſatis poſſumus mirari,

(*) Maiorem eſſe, quam ut diſſertationis brevi ambitu contineri queat, praeſentis inquiſitionis materiam, facile concedo; interim non inutilem rerum hic obſervandarum compagem ſiſtit tractatus iſte *de morbis recens natorum Chirurgicis*, eoque magis mihi neceſſarius viſus, quo ſaepius *tenellorum civium* vita ab ipſis Medicis quandoque crudeliter ſatis negligitur, ut qui in multis locis parum de *Neonatis* ſervandis ſunt ſolliciti: acſi aetati huic teneriori opem ferre infra artis digni-

tot fetus vivos in lucem edi, & per infantiae pericula ad adultiorem aetatem pervenire. Enim vero vix dici poteſt, quot quantaeque cauſſae a parte matris, in uteri fabrica, nexu placentae cet. poſitae, fetum male afficere poſſint; vel, quantum res externae variae fetui mortem, & matri abortum minentur. Fetus autem ipſe in primordiis ſuis, ſi funiculum placentamque reſpiciamus, varie laedi & ſummo vitae periculo exponi poteſt, de quibus laeſionibus Cl. BURDACH (*a*) egregie diſſeruit. Neque vero deſunt, quae ipſum partum aut difficilem, aut praeternaturalem reddant, & ex quibus vita fetus crebrius periclitetur (*). Natum

tatem eſſet, & natura ſoli *fetui* ſuum denegaret officium. Completior fuiſſet diſſertatio, ſi tum *Medica*, tum *Chirurgica*, quae circa *neonatum* praecipue obſervanda ſint momenta, breviter licet, conſideraſſet; interim priora iam multis innoteſcunt, ſaepiuſque, niſi ſat bene, ſaltem melius, quam *Chirurgica* huc uſque pertractata ſunt atque collecta. Addam & huic libello, quae praecipua ipſi adhuc addenda fuiſſe mihi apparent, ſicque magnum mihi opus feciſſe videbor, ſi Medicos atque Chirurgos iuvenes in haec quoque obiecta paulo reddiderim attentiores.

(*a*) Diſſ. de laeſione partium, fetus nutritioni inſervientium, abortus cauſſa. Lipſ. 1767. 4.

(*) Cum ad convincendos de neceſſitate maioris curae circa *prolem utero* adhuc *materno incluſam* animos & avertendos ab ea communiſſimas ſaltem interitus morborumque tam internorum, quam

autem hominem vel morbi, ex labe parentum in eum translati, haereditarii dicti, ut de lue vene-

externorum cauſſas, non parum interſit, *fetuum* noviſſe pericula; pauca, quae huc ſpectant, ex opere meo circa *Politiam Medicam*, cuius in ſermonem Italicum translatio ſub praelo eſt, latine reddita, his additurus ſum. „ Nunquam recte „ poterit definiri numerus illorum, qui vel adhi- „ bitis in hunc finem adminiculis, vi illata, a „ matribus ipſis expelluntur, fetuum; vel qui „ ex cauſſis minus manifeſtis, ſaltem abſque prae- „ meditato genitricis conamine, vel praematuro „ partu excluduntur, vel alio modo corpore laeſi „ procreantur. Incertiora adhuc ſunt, quae circa „ haec in primis graviditatis menſibus contingunt, „ & ab ipſis quoque matribus utplurimum igno- „ rantur, vel ſaltem aliis, cum raro obſtetrices „ *abortui* tali praeſint, rariſſime innoteſcunt. „ Interim valde mihi probabile eſt, *plurimos* fe- „ tus ad menſem uſque *tertium*, — ad *medium* „ vero uſque graviditatis *terminum*, duas tertias „ *abortuum* partes contingere, qui per totam gra- „ viditatem in genere contingunt: cum, tam „ *oris uterini profundior* ſub primis graviditatis „ menſibus *ſitus*, ſub coitu facilius afficiatur, ne- „ que in hoc, cum ſaepe adhuc incertum ſit mu- „ lierem concepiſſe, moderamen tale ac ultimis „ menſibus, exſpectandum ſit; — quam *tenerior* „ creatura minori vi deſtruatur, &, plantulae „ mollioris adinſtar, facilius eradicetur, atque „ *mortalitas primae aetatis* ſemper maxima ſit, „ neque dubitari poſſit, quin hoc magis adhuc „ de fetus primordiis verum ſit, ubi eiuſdem cor- „ puſculo omnis adhuc deeſt conſiſtentia, & *ma-* „ *terni errores* tanta ipſi minantur pericula. Cl. „ quidem SüSMILCHIUS nonniſi *quatuor mor-*

rea, arthritide cet. notum eſt, vel alii qui eo tempore, quo utero includitur orti ſunt, & qui

---

„ *tuos* ex *centum fetubus naſcendis* ſupponit: cum „ *calculi* in diverſis civitatibus maioribus ſuper „ his inſtituti, pro *numero medio* hunc ipſum „ excedere non obſerventur (*Goettliche Ordnung* „ 24. *Kap.* §. 519.). Sic & in *Sileſia* ex 1000. „ natis, 31. 52. mortui genitorum erant (*Oeco-* „ *nomiſche Nachrichten der patriotiſchen Geſell-* „ *ſchaft in Schleſien* 1779. *S.* 202.). Aſt vero in „ eiuſmodi calculis, ii tantum fetus comprehendi „ ſolent, qui ab ipſo *parocho ſepeliuntur*, & con- „ ſueto *mortuorum regiſtro* inferuntur; minores „ vero, paucorumve menſium fetus, cum mortui „ naſcuntur, abſque aliis ceremoniis vel ab *ob-* „ *ſtetricibus*, aut aliis mulierculis ſolis, terrae „ mandantur; aut in putrilaginem iam converſi „ aut parvi nimis, quam ut facile diſtinguantur, „ ſanguini congrumato aut membranis involuti, „ fluviis committuntur, neque inter eos ſic nu- „ merari ſolent, qui vel in utero vel ſub ipſo „ denique partu, antequam auram vitalem vel „ primo hiatu guſtaverint, e vita deceſſerunt ". *Mediciniſche Policey*, *I. Band*, *2te Auflage*, *S.* 577. 8. Haec *fetus uterini* pericula ſunt! Sed quanti non *naſciturum*, vixque natum undique circumdant abſorbentque vortices, & quos non *cives novos*, inſalutatos etiam, quotannis quaevis perdit Reſpublica! Optaſſem hic, ut Auctor *diſ-ſertationis* huius in *cauſſas* morborum Chirurgicorum, quibus *Neonati* ſubiiciuntur, praeprimis inquiſiviſſet, multamque certe, utiliſſimamque hic habuiſſet lucubrationis materiam, quam in citato *Politiae* opere ſaepe meam feci, atque hinc inde breviter indicabo.

connati appellantur, afficere poſſunt. Quorum quidem cauſſa non raro in intima viſcerum fabrica, vel fluidorum mixtione latent, poſt partum evolvitur, qualis v. c. eſt in morbis ex meconio ortis, in aſthmate pituitoſo & in ictero (*a*) recens natorum. Saepius tamen partes aut a mala conformatione, aut a laeſione ſub partu morboſe afficiuntur. Ex tanta igitur morborum varietate,

---

(*a*) Icterum recens natorum communiter a muco, orificium ductus choledochi obſtruente, derivant. Vid. VAETTERLI *de ictero, illo ſpeciatim, quo infantes recens nati laborant*. Gotting. 1753. VAN SWIETEN *comment. in* BOERHAAV. *aphor.* Tom. III. pag. 128. Novam huius rei theoriam propoſuit cel. MORGAGNI *de ſedib. & cauſſ. morb.* Ep. XLVIII. art. 59. ſeq. qui culpam in ligaturam funiculi umbilicalis, & mutatam circulationem ſanguinis coniicit, ratus, ſtagnante in vena umbilicali ſanguine eius tranſitum per hepar impediri. Subſcribit huic ſententiae cel. A. LEVRET, qui ſuadet, in ligatura funiculi ſanguinis copiam ex vena umbilicali, funem leniter verſus locum diſciſſum premendo, evacuare. Vid. *Journal de médécine* menſ. April. 1772. pag. 350. quod iam ante eum MAURICEAU commendavit, qui hanc repreſſionem pro cauſſa morborum in hepate oriundorum habet. *Malad. des femmes* L. III. c. 30. p. 491. Attamen, cum infantes ab ipſo partu ictero connato laborare oſtenderit SYLVIUS *Prax. med.* Lib. I. cap. 46. n. 11. haec hypotheſis, niſi penitus falſa, non omnibus tamen icteri ſpeciebus accommodata eſſe videtur.

quibus infantes recens nati obnoxii ſunt, eos tantum, quorum mentionem ultimo loco fecimus, & quibus chirurgia proſpicit, hoc ſpecimine tractandos nobis ſumimus; neque quidquam differemus de monſtroſa rariore fabrica, in qua mutanda nihil fere valet ars chirurgica, & cuius exempla copioſa Cel. HALLERUS collegit (*a*). Vulgares tamen ſpecies annotabimus.

§. II.

Tumor capitis. Caput compreſſum.

Cum in pertractandis infantum recens natorum morbis chirurgicis ſitus partium laeſarum ordinem optimum ſuppeditare videatur, hunc prae reliquis eligere, & a capitis morbis externis, quibus infantes affici ſolent, incipere placuit. Prima horum ſpecies eſt ille tumor, qui partes capitis molles atque integumenta occupat, a compreſſione in partu oritur, & pluribus infantibus neonatis ſolemnis, germanico nomine *der Vorkopf* appellatur. Plerumque in ſincipite, vel occipite, rarius in facie reperitur. Capite enim fetus diutius in apertura pelvis haerente, regreſſus ſanguinis per venas in ſuperficie magis excurrentes neceſſario impeditur: Ex quo fit, ut ſanguis coa-

(*a*) Lib. *de monſtris*. Vid. EIUSD. *Opp. minor. anatom. argum.* Tom. III.

cervatus aut in telam celluloſam effundatur, aut ſaltem in vaſis minimis adeo copioſe ſtagnet, eaque inflet, ut tumor inde inſignis oriatur, qui ſaepius, baſi calvae in apertura ſuperiore pelvis commorante, iam ante genitalia conſpicitur. Uſum huius tumoris in partus viis dilatandis, & ſigna varia vitae fetus ex illo deſumenda, hic explicare non neceſſarium arbitror. Periculum infanti ex eo nullum imminet, licet occipitalem lethalem eſſe affirmet LEVRETUS (*a*), qui eum forſitan cum hydrocephalo, vel hernia encephali confudit. Neque in non adeo magno tumore multis auxiliis opus eſt, cum in infantibus, in quibus contuſiones facillime reſolvuntur, haec quoque earum ſpecies vulgo ſponte diſſipetur. Ubi vero maior eminentia adeſt, epithematibus & fomentis ex vino viliori (*b*) acidiuſculo cum herbis diſcutientibus & leniter roborantibus ſuccurrendum eſt. In his applicandis ſedulo attendendum videtur, ne fomenta nimis frigida applicentur, cum in tenerum infantum corpus exinde maxima incommoda & grave periculum redundare queant. In Gallia oleum roſarum cum vino, & a recentioribus ſolutio

---

(*a*) *L' Art des accouchemens* p. 29.

(*b*) Vinum ſpirituoſum tenero infantum corpori non bene applicatur, neque diſcuſſionem aeque praeſtat; ac tenue.

ſalis marini in aqua ſimplici (*a*) hos in uſus impendi ſolet: cui apud nos vinum tenue vel cereviſia ſecundaria, in qua ſal culinare vel ſal ammoniacum ſolutum fuit, ſubſtitui poſſe videtur (*b*). Nonnumquam aqua vulneraria ſimplex vel cum ſapone remixta profuit, licet hanc levioribus tantum huiuſmodi tumoribus conſentaneam putaverim. Quodſi vero tumor magnitudine inſigni ſit, aut quod rarius fieri ſolet, vera vaſorum dilaceratio reperiatur, inciſione facta ſanguis congrumatus eximatur. Minus recte SMELLIE (*c*) id tumorum genus inter abſceſſus refert; neque in univerſum bona ſuppuratio ſequitur (*d*), ſed ea eſt metuenda, quae ſaepius ulcera ſordida & cariem efficit, atque adeo ſi tumor non mature apertus fuerit, res ſpectat ad mortem, ut ipſe SMELLIE (*e*) fateri cogitur. In aperiendo autem tumore curatius attendendum eſt, ne eius loco hydrocephalus ſeu hernia cerebri incidatur: eo

---

(*a*) *L' eau marinée* LEVRET l. c. p. 229. & *Journal de médecine* 1772. p. 410.

(*b*) Cel. SENNERTUS L. I. *Prax*. Part. I. c. 21. commendat aquam roſarum cum albumine ovorum, & cataplaſmata ex herbis adſtringentibus cum melle; ſed plerumque epithemata humida ad diſcutiendum tumorem ſufficiunt.

(*c*) Tom. III. *Obſerv*. p. 450.

(*d*) Abſceſſum ex tali tumore vid. apud MAURICEAU Obſ. 257.

(*e*) L. c. p. 451.

enim in caſu inciſio lethalis foret. SMELLIE etiam exemplum haemorrhagiae lethalis, ex tumore eiuſmodi aperto, affert (*a*). Saepius, cum tactu tumor exploratur, praeſertim, ubi margines inflammatione turgent, ſub quibus ſanguis fluidus abſconditur, ſenſus aliquis percipitur, qui perforatae calvariae ſuſpicionem excitare poſſit: qua de re in loco de hernia cerebri plura.

Facies fetus, ſi prima in partu prodeat, ſaepius caeruleo colore tingitur: & LEVRETUS infantes propter hanc ecchymoſin aethiopum ſpeciem prae ſe tuliſſe vidit (*b*). Hoc ubi fit, larva ex linteo, decocto ex vino tenuiori & herbis adſtringentibus immerſo, facies ita tegatur, ut nihil, niſi os & nares nudae relinquantur. Palpebrae, cum laxioris habitus ſint, ſtagnationibus ſanguineis plus, quam aliae partes obnoxiae ſunt, ex quibus abſceſſus formatos eſſe refert STORCH (*c*). Inſtrumentorum, in arte obſtetricia conſuetorum uſus, vectis e. g. Roonhuyſiani & forcipis, ecchymoſibus levioribus occaſionem nonnumquam praebet, quae methodo hactenus deſcripta facile ſolvuntur; nec ea inſtrumenta, ſi a peritis manibus dirigantur, quidquam periculi afferunt, cum oſſa fetus, facile comprimenda, eorum impetui ce-

---

(*a*) L. c. p. 452.
(*b*) *Journale de médecine* l. c.
(*c*) STORCH *Kinderkrankheiten.* Tom. I. p. 134.

dere ſoleant. Si tamen vel ex inſtrumentorum applicatione, vel ex preſſione in partu difficili, tale quid acciderit, raro periculoſum eſt, ſed viribus naturae enthlaſis haec non multo poſt reſtituitur. Unum ſaltem ex relatione amici exemplum teneo, ubi ex tali impreſſione a ſitu infantis in apertura pelvis diutius perſiſtentis, in oſſe bregmatis abſceſſus formatus eſt, ex quo, a chirurgo inciſo fragmentum oſſis carie exeſi extractum eſt. Omni in partu calvariam ita comprimi, ut coni figuram oſtendat, & magnum inde partus levamen effici, notum eſt. Id in partu difficili magis fieri ſolet, & magnam capiti deformitatem inducit (*a*), ſponte tamen utplurimum capitis forma reſtituitur; non quidem, ut vult LEVRETUS (*b*) aeris atmoſphaerici, caput ambientis, preſſione, ſed niſu elaſtico partium vivi fetus & vi arteriarum cerebri & durae matris, quarum pulſu partes compreſſae iterum expanduntur, & figura naturae conveniens redit (*c*). Infantibus, hac morboſa affectione laborantibus, ſaepius vomitus a preſſione cerebri ſupervenit, qui tamen ipſam expanſionem oſſium iuvare poteſt, cum impetum

---

(*a*) Hoc ab obſtetricantibus *ein verſchobener Kopf* appellari ſolet.

(*b*) *L' Art des accouchemens* p. 228.

(*c*) Sunt etiam exempla eiuſmodi deformitatis per totam vitam relictae.

ſanguinis verſus caput augeat. Leniore quoque preſſione aut manibus, aut faſcia triangulari capitis (*couvrechef*) deformitas iſta corrigitur; nimia tamen conſtrictio aut compreſſio omni modo evitanda eſt. Qua in re feminae obſtetricantes vulgo peccant, quae cranium inaequaliter premendo, dum capitis formam reſtituere tentant, infantibus convulſiones aut alium morbum excitant (*a*). Cl. ALLEN (*b*) ex indice mortuorum Londinenſi peculiaris morbi infantum mentionem iniicit, quem Angli *head-mould-shot* appellant, qui ipſe maxime periculoſus videtur, cum, niſi capitis forma mox bene reſtituatur, illi convulſionibus miſere pereant (*c*). At convulſiones ex capite in partu compreſſo non adeo frequentes ſunt inter recens natos hoc vitio laborantes, neque eis adeo periculoſae: & a viris fide digniſſimis, atque artis obſte-

---

(*a*) Hydrocephalum oriri, ſi caput a partu ab imperitis obſtetricibus comprimatur, P. AEGINETA L. VI. cap. 3. monet.

(*b*) *Synopſ. medic. univerſ.* vid. Addenda ad edit. Amſtelod. 1730. p. 138. In tranſlatione gallica tractatus cl. COOKE *maladies des enfans* p. 72. hic morbus *crâne débordant* vocatur.

(*c*) SMELLIE Vol. III. pag. 469. Supervenientibus iam convulſionibus venaeſectione & veſicatorio in nucha applicato infantibus, hoc malo correptis, vitam ſervavit. Melius adhuc ſanguinis quadam copia ex diſſecto funiculo umbilicali evacuata haec ſymptomata praecaventur.

accepi, ex trecentis ſere infanti-
.. , partu difficili excluſis, quos ipſi viderant, vix unum convulſionibus, a capite compreſſo periiſſe. Nec omnis, etſi violenta compreſſio capitis fetuum convulſiones excitat. Vix unquam enim in iis, qui forcipe protracti fuerunt, convulſiones inde oriuntur. Fortaſſe igitur mors illorum infantum aliis ex cauſſis, vel, ut probabile eſt, ex perverſis obſtetricum tentaminibus effecta videtur, praeſertim cum iſtis indicibus Londinenſibus, qui ad anicularum, quae aegris adſiderunt, relationem conſignantur, non ea fides habenda ſit, quae iis plerumque tribuitur. In partu naturali ſaepe nares comprimuntur, oſſibus tamen naſi plerumque illaeſis, quoniam naſus fetuum fere ſimus & maximam partem cartilagineus eſt. Hic fomentorum uſus magnopere commendandus eſt. Inepta & imperita verſione aliud gravius malum nonnunquam producitur, luxatio maxillae inferioris, ſive proceſſuum condyloideorum diductio, quam & in praevia facie accidere LEVRETUS (*a*) exiſtimat. Hic iterum, facta prius partium repoſitione, eo magis fomenta adhibeantur, quo miſerior haec infantum conditio eſt, cum neque lactatio locum habeat, neque neogenitus a periculo mortis ex

(*a*) *Journal de médecine* l. c. p. 223.

tetano maxillae inferioris immunis ſit (*a*). Non plures capitis morbos chirurgicos, qui infantibus accidunt, enumerare opus eſt, cum noſtra aetate inſtrumenta obſtetricia ſcindentia a peritis obſtetricantibus chirurgis caute plerumque, & non, niſi in mortuo fetu adhibeantur. Iis vero temporibus, ubi applicatione incongrua uncorum infantes vivi graviter vulnerabantur, plures quoque capitis morbi chirurgici connati conſpiciebantur (*).

(*a*) STORCH l. c. p. 122.

(*) Ubi *oblique* caput per *pelvim* protruditur & in hoc ſitu diutius haeret, vel ubi haec *anguſtior* eſt, aut *maiori capite* praeditus ſit infans, — vel ubi ſaepe nimis & *ruditer* naſciturum digitis ſuis *explorant* & tractant obſtetrices, aut *inſtrumentis* diu aut perverſe adplicatis protrahunt Chirurgi, utplurimum *cuneiformi* capite naſcuntur infantes. Ubi tumor *aequalis* eſt, & per totum verticem extenditur, minus utplurimum ab eo periculum eſſe obſervavi, quam ſi omnis preſſio in unam tantum partem diutius & inaequaliter egerit, praecipue ſi ad ſic dictas *fontanellas*, aut anteriorem, ſeu *frontalem*, aut *occipitalem* vel poſteriorem, ubi ſcilicet nudum quaſi exponitur cerebrum, laeſio contigerit. Non adeo rarum eſt, caput fetus, in utero adhuc materno, a *thoracibus* laedi, quibus matres aliquando per totam graviditatem, elegantioris formae gratiâ, indutae incedunt, vel puellae illicito concubitu impregnatae, fetum adhuc immaturum abigere conantur. Ferrum enim, vel trabs illa lignea, quae *Plauchette* gallis dicitur, quam anteriori thoracis parti, ut firmio-

§. III.

Suturae apertae; hydrocephalus; hernia cerebri.

Commemorata hactenus vitia a leſione ſub partu pendent; plura vero & graviora iam in

---

rem reddant, committunt, longior ipſa illa thecâ oſſea, ipſi quandoque fetus capiti ita imprimitur ut foveam in ipſis calvariae infantilis oſſibus teneris reliquerit, & formam frontis perverſam induxerit, niſi mortem prolis ipſam procuraverit, vel abortum. Quodſi ergo caput ad verticem ubique & aequaliter tumeat; a ſola natura, calvariae figura conſueta ſucceſſive iterum reſtituitur, neque vel faſcia vel preſſio quaecunque, ſine noxa poteſt adplicari. Interim ſi tumor, & hinc ſtagnantium in celluloſa humorum copia maior ſit; non raro inflammationis metus eſt; quae quidem raro in ſuppurationem abitura, facile tamen convulſiones aliaque mala infantibus cauſſabit. Solent enim eiuſmodi partu difficili protruſi fetus utplurimum varia ipſius cerebri adfecti ſymptomata edere, & mox ſoporem, mox convulſiones pati, ſub quibus tot *neonati* mox primis poſt partum horis abripiuntur. Sub his igitur circumſtantiis, conſueto aliquot cochlearia, ſeu unciam ſanguinis cum dimidiâ, ex praeſciſſo atque ſerius ligato funiculo umbilicali efflui permittemus, dein vero fomentationes ex herbis aromaticis in vino aut aqua cum aceto coctis, *tepide* adplicabimus. Calorem aeque ac frigus fomentorum evitandum eſſe, docet tum affluxus ab illo maior ad caput futurus, tum vero huius in ſenſile caloriquc balnei anima-

ipſa conformatione fetus exiſtunt. Quod ſi enim univerſam capitis fabricam intueamur, non raro ſuturae cranii in neogenitis diſtantes apparent (*a*). Quem

lis aſſuetum encephalon actio iniqua, cuius effectus lethales aliquando teſtantur exempla infantum a *Baptiſmo aquâ gelida adminiſtrato* defunctorum, quae tam clariſs. MAURICEAU (*Obſervations* 422.), quam celeb. BROUZET (*de l'Education Médicinale des Enfans Ch. I.*), atque clariſs. demum ZEVIANI (*delle numeroſe morti dei Bambini, Diſſertazione Accademica*) adduxerunt. Ad partiales in capite *neonati* a partus difficultate tumores quod pertinet, raro hi abſque funeſto effectu ſcalpello adperiuntur; multo vero facilius vel *ſpiritus vini camphorati*, vel *aquae ſelopetariae*, vel alterius & vinoſae infuſionis herbarum aromaticarum uſu, ſucceſſive diſpelluntur. In proprio ſic filio, tumorem talem ovi anſerini magnitudinem habentem, ad os parietale ſiniſtrum mox a partu obſervavi: fluctuatio evidens ſentiebatur, & a tumefactis ad circumferentiam ſeu baſim elevationis, integumentis, videbatur *calvaria* ſub fluctuante humore latens quaſi *impreſſa*. Fomentationes ex ſpiritu vini camphorato inſtitui, & poſt paucos dies, dum tumor premeretur, chartae adinſtar pergamenae reſonabat & quaſi in ovo putrido hinc inde movebatur humor incluſus: interim eadem methodo ulterius continuatâ, perfecta reſorptio locum habuit, neque conſilium cl. MAURICEAU, aliorumque ſecutus ſum, ut eiuſmodi tumorem aperirem, quod in aliis lethali cum ſucceſſu factum eſſe noveram.

(*a*) Capita ſine ſuturis partum quidem difficilem reddunt, cum auxilium partus ab oſſium capitis mobilitate pendens deficiat, poſt partum vero nullam curam exigunt.

Quem morbum, in indice mortuorum Londinenſi *horſe-ſhoe-head* dictum, ſemper lethalem eſſe cl. ALLEN (*a*) affirmat. Id vero ex eo factum eſſe opinor, quod hi infantes aut abortivi ſunt, ut ex capite exiguo cognoſcitur; aut hydrocephalo laborant, in quibus caput iuſto maius eſt; ut inde facile pateat, hos omnes non tam a ſuturis diſtantibus, quam a cauſſa, hunc ſtatum praeternaturalem producente, vel a nutritione laeſa de vita periclitari. Idem de nimis magna fonticuli naturalis apertura valet. Nutrices in Anglia capita recens natorum hoc vitio laborantium ſpiritu vini vel ſpiritu ſacchari (*rum*) lavare cl. ALLEN narrat, additis ab aliis albumine ovi & palmae oleo. Etſi vero ſpirituoſa leniora, & multa aqua diluta concedi poſſunt; ea tamen multum praeſtare dubitamus, cum natura ipſa in claudendis eiuſmodi hiatibus efficaciſſima ſit. Haec tamen naturae molimina leniore compreſſione iuvare utile eſt, quod commode fit, ſi in ſuturis nimium diſtantibus capitium anguſtius adhibetur. Fonticulus autem ultra modum apertus ſplenio impoſito a preſſione externa optime defenditur. Haec maximam partem de fetubus immaturis & abortu excluſis valent, quorum caput non adeo magnum

(*a*) L. c. *Crâne-ouvert* Cl. COOKE l. c. vocat.

eſt. Quodſi vero hoc in recens natis, qui ad iuſtum partus terminum pervenerunt, conſpiciatur, recte eos hydrocephalo laborare adfirmamus. Vitium hoc in externum & internum hydrocephalum diſtinguere ſolent: internus rurſus vel ventriculos cerebri occupat, vel inter eius ſubſtantiam & duram matrem haeret. Si hydrocephalus internus ab initio ſtatim graviditatis adeſt, cerebrum maceratum, vel maxime compreſſum invenitur, ita, ut tales infantes quaſi ſemi-acephali ſint, qui vitam fere nunquam ultra duodeviginti vel viginti quatuor horas trahant (*a*). In eo autem hydrocephalo, qui in ultimis graviditatis menſibus naſcitur, diſtant ſuturae, caput autem ipſum maius & pellucidum deprehenditur (*b*). Hydrocephalo interno chirurgia mederi nequit, & inciſio, quam nonnulli in altera eius ſpecie ſuadent, mortem accelerat, quae vel a celeri effuſione humorum, indeque producto vaſorum collapſu, vel a gangraena, corrupto per aerem cerebro, accidit. Ipſa quoque emiſſio aquarum, ſi cerebrum nimis iam maceratum ſit, inutilis eſt. Hinc eiuſmodi infan-

---

(*a*) DELEVRYE *maladies des enfans* p. 200.
(*b*) Capita hydrocephalica in quibus ſuturae diſtant, delineavit Beat. HEBENSTREIT in diſſ. *de capitonibus laborioſo partu naſcentibus* Lipſ. 1743. fig. 1. & 2. Crania illa nunc in collectione oſſium morboſorum B. LUDWIGII aſſervantur.

tes uſu draſticorum purgantium & ſquilliticorum, nec non applicatione epithematum diſcutientium & faſciae expellentis, quae *mitra* ſ. *capitalis* HIPPOCRATIS (*la capeline*) dicitur, tantum per aliquod tempus conſerventur. (Conf. ut alios taceam, BOERHAAV. *Aphor.* §. 1247. & cel. GEHLERI Diſſ. *de partu difficili ex hydrope fetus* p. 28.) (*). Externus hydrocephalus minus pericu-

F 2

(*) Varia hic addi poſſent *de hydrope ventriculorum cerebri*, quae Auctor noſter omiſit, & quae noſtris demum temporibus variis experientiis fuerunt ulterius illuſtrata; ſed, ne res Eruditis notas hic repetam, praecipua tantum circa hunc morbum ſcripta hic adnotabo. Primus quidem VESALIUS, aquae in ventriculis cerebri inventae mentionem iniecit, quin ad *Apoplexiam* referret morbum, quod in illud uſque tempus factum eſt (Vid. VESAL. *de Corp. human. fabric. L. I. cap.* 5. *Edit. Venet.* ann. 1584.). Ill. dein PETITUS hydrocephalum internum felicius deſcripſiſſe videbatur (*Mémoires de l' Acad. Roy. des Sciences; ann.* 1718.). Sed longe adcuratius hic morbus ab egregio WHYTTIO illuſtratus eſt (ROBERT WHYTT'S *Works published by his Son; London.* 1768.), quo in opere, poſt mortem immortalis Viri primum adparuit tractatus peculiaris de hydrope ventriculorum cerebri (*on the dropſy in the brain*). Iam ante haec tempora adparuerat Diſſ. GAUDELII *de Hydrocephalo*, Goettingae, 1763., atque haec iterum recuſa eſt apud SANDIFORTIUM, *Theſaur. Vol. II.*; ſed longe meliora a WHYTTIO ſumus edocti. Magna caeterum circa hunc morbum merita ſunt

loſus eſt, & ex tumore molli, digitorum preſſioni cedente, dignoſcitur. Occurritur huic malo impo-

---

ill. Virorum FOTHERGILLII & WATSONII (*Medical Obſervations and Inquiries*, *T. IV. p.* 40. 78. 321.), cl. PAISLEYI (*Eſſays of Edinb. Vol. III.* 26.), MORGAGNII (*de ſed. & cauſ. morb. Ep. XII.*), ROSENSTEINII (*Auweiſung zur Kenntniſs uad Cur der Kinderkrankheiten, ubers. Von Ritter* MURRAY *Edit. V. p.* 602.). Singulos vero Auctores de hoc morbo ſcribentes eleganter contraxit eorumque experientias ditavit celeb. CHRISTIANUS LUDWIGIUS, *de Hydrope cerebri puerorum*, Lipſ. 1774., & apud ill. BALDINGERUM, *Sylloge opuſculorum argumenti Medico-practici Vol. V. p.* 120. Egregie circa hunc morbum denique verſatus eſt clariſs. ODIER (*mém. de la Société Roy. de Médecine*, *Anné* 1779. *p.* 204.). Ill. vero CULLENIUS ad *Apoplexiam* referens denuo hanc aegritudinem, nomen illi, *Apoplexiae hydrocephalicae* impertitus eſt (*Noſolog. method.* Edit. IV. *Ticinenſis* p. 136.), eo quod hydrocephalus, qui hic ſubeſt, nequaquam ſenſibus obvius ſit, & ſymptomatis ab hydrocephalo evidente plurimum differat; denique quod cauſſâ proxima, & tandem ſymptomatis, *apoplexiae* quam maxime affinis ſit. Fatendum tamen eſt, *hydropem ventriculorum cerebri*, qui *acutum* potius morbum ſiſtit, & hinc ab ill. MACBRIDIO, *febris cephalicae* nomine venit, longe alia ſymptomata, quam quae apoplexiam comitantur, offerre; neque ob aliam rationem ab hydrocephalo interno diſtinctum incedere, quam quod aqua in cerebro infantili haerens, irritando potius, quam comprimendo, ut in apoplexia fit, agere videatur: quamvis & in hoc, pro variis

ſitis epithematibus ſiccis ex herbis diſcutientibus, & nonunquam ſcarificatione, inciſionibus parvulis ſed frequentioribus integumentorum (*a*), non ne-

---

morbi ſtadiis, varia intercedat ratio, tum a maiori infantilis cerebri mollitie & ſenſilitate, tum ab ipſius calvariae extenſibilitate maiori, forte repetenda. Ad quodcunque vero morbi genus referatur aegritudo; ſufficit adnotaſſe, omnia hucuſque inſtituta experimenta, tum artis in illam, impotentiam magnam demonſtrare, tum vero prae aliis, *mercurialium* remediorum uſui favere. Haec praecipue commendaverant cl. DOBSON & PERCIVAL (*Medical Commentaries Vol. VI. pag.* 219.). Dabatur vero calomelas ad *granum unum* ſemel vel bis in die, ita ut mercurii, in octo diebus, ſcrupulus unus praeſcriberetur, & interea unguenti mercurialis fortiſſimi dragma unica lumbis & cruribus infricaretur. Ex ſeptem aegris, quinque hac methodo curati memorantur (*Ibid.*), atque ſimile curationis exemplum habetur in *Medical obſervations and Inquiries T. IV.* His addendus venit aeger 27. annorum, quem eadem methodo reſtituit cl. MACKIE (DUNCAN'S *Medical Commentaries for* 1780. *P.* 2.). Inutiliter remedium hoc expertus eſt cl. WILMERUS (*Caſes and remarks in ſurgery*, *Lond.* 1779. p. 52.); interim meretur certe repeti in tam terribili malo experimentum, in quod tamen maiorem ponerem fiduciam, ſi certior hic eſſet, in primo morbi ſtadio, diagnoſis. De cl. WITHERINGII circa hunc morbum opinione & experimentis cum herbae *digitalis purpureae* infuſo inſtitutis, alio loco mentionem iniiciam.

(*a*) Veſicatoria quae nonnulli commendant, forſan gangraenam excitare poſſent.

gleĉto uſu purgantium & leniorum hydragogorum. Sicut autem in hydrocephalo interno ſuturae oſſium calvariae ſeparantur: ſic in alio quodam morbo oſſa ipſa perforata conſpiciuntur, quem *herniam cerebri* appellare ſolent. Eſt autem tumor in capite, in quo encephali pars latet, quae per foramen in aliquo oſſe cranii una cum dura matre prodiit. Differt ea in re a prolapſu cerebri, qui poſt vulnus calvariae oritur, & in quo encephali pars per duram matrem laeſam nuda exit. Cum recentiorem diligentiſſimum ſcriptorem (*a*) de hernia cerebri adhuc dubitantem, atque eam a prolapſu encephali non accurate diſtinguentem viderim, liceat mihi de ea paulo copioſius exponere. Antiquiores, neque adeo certas obſervationes lubens praetereo: REISELIUM (*b*) tamen commemorare placet, qui primus tumorem occipitis deſcripſit, quo aperto ſerum limpidiſſimum profluxit, & in quo, diſſeĉto fetu, cerebellum repertum eſt, quod per foramen proprium, cum foramine magno occipitali coniunĉtum, reliquo encephalo continuabatur. Fuſius autem & curative hunc morbum diſquiſivit, eiuſque deſcriptionem

(*a*) Cl. ſcilicet SWAAGERMAN *over het waterhoofd.* Te Amſterd. 1767. p. 219. ſeq.
(*b*) *Ephem. N. C.* Dec. II. ann. 2. Obſ. 115. p. 272.

dedit Cel. LE DRAN (*a*), a quo etiam nomen *herniae cerebri* accepit; ab aliis graeco idiomate *encephalocele* appellatus. Miſſis ceteris obſervationibus, notabimus tantum eundem LE DRAN (*b*) eiuſmodi tumorem in regione parietali, TREWIUM (*c*), ſimilem in utroque oſſe bregmatis, & CORVINUM (*d*) in oſſe occipitis obſervaſſe (*e*). REISELIUS (*f*), CORVINUS, &, quem MORGAGNIUS (*g*) laudat, SANTORINUS, retulerunt exempla aquae una cum encephalo in tumore repertae, quem morbum complicatum *hydro-encephalocelen* appellavere. DESLANDES (*h*) in ſimili tumore meram aquam, per foramen in oſſe occipitis effluentem vidit. In quacunque hernia cerebri tumor pro indole morbi varie tenſus eſt, ſemper tamen in eo fluctuatio aliqua

(*a*) *Obſerv.* I.
(*b*) L. c.
(*c*) *Commerc. litt.* 1738. hebd. 52. p. 412.
(*d*) CORVINUS diſſ. *de hernia cerebri* Argent. 1729.
(*e*) Plura exempla vid. apud HALLERUM *de monſtris in Opp. min. anat.* T. III. p. 11. & Cl. GEHLER in diſſ. citata. Nuperrime apud nos Cel. BOSE & GEHLER, nec non Cl. HEBENSTREIT Chirurgus Lipſienſis dexterrimus, ſimiles tumores in oſſe bregmatis invenerunt.
(*f*) L. c.
(*g*) *De ſedib. & cauſſ. morb.* Epiſt. XII. art. 6.
(*h*) *Journal de médecine* 1767. p. 74.

percipitur, ſed dolor nullus; nec cutis color mutatus, niſi iam gangraena immineat. Herniae huius generis vel connatae deprehenduntur, uti CORVINUS (*a*) notat, vel demum ex infantis vagitu quod frequentiſſimum eſt, vitio iam in oſſe exiſtente, oriuntur. Hoc in herniis cerebri hiatum oſtendit; duplex tamen perioſteum & mollis tum temporis cartilago plerumque adſunt (*b*), ita, ut in ambitu tumoris margo circularis oſſeus tactu diſtincte percipiatur. Experientiſſimi Viri FERRANDUS (*c*) & LEVRET (*d*) monent, cavendum eſſe, ne herniae cerebri cum abſceſſibus, vel etiam cum ecchymoſibus ſanguineis in partibus mollibus (§. 2.) confundantur. Attamen diſtinctio inter herniam cerebri & abſceſſum nobis non tam difficilis videtur, ut FERRANDO. Encephalocele enim ad tumores lente & ſine inflammatione ortos, pertinet, & vagitu infantis increſcit, quae ſigna in abſceſſu non reperies, in quo & praeterea cuticulae color mutatur. Licet porro foramen oſſis inter ſigna herniae cerebri non fallacia haud numerem, cum

---

(*a*) L. c.
(*b*) CAMPER *in Act. Harlemenſ.* ſive *Verhandelingen &c.* T. VI. p. 366.
(*c*) Theſ. *de encephalocele* ſub Praeſ. Cl. SABATIER Pariſ. 1763. defenſa.
(*d*) *Journal de médecine* 1772. p. 411.

in carie ſimili modo appareat ; in hac tamen hiatus neque adeo rotundatus , neque ſine ullo dolore , ut in hernia erit . Signum a FERRANDO poſitum , hernia ſcilicet cerebri compreſſa , actiones omnes vitales laedi , inutile eſt , vix enim hoc unquam a medico prudente tentabitur. A tumore ab ecchymoſi eadem non adeo difficulter diſcernitur , cum ſigna anamneſtica mox edoceant, an contuſio praeceſſerit, in qua cauſſa extravaſati lateat . Ponamus etiam , ut LEVRETUS l. c. bene notat, & nos antea monuimus , fluidum ſtagnans , inter margines tumoris cedens , hiatus in oſſe ſuſpicionem iniicere ; profecto tamen tactu facile percipi debet, tumorem , quippe in partibus mollibus obvium , ſupra os elevari, cum inter tumoris margines , & os ipſum ſpatium neceſſario adſit , intra quod fluidum moveatur . Iam de origine herniae cerebri pauca addenda eſſe puto . Conſtat , oſſa calvariae plana ſtriis fibrarum oſſearum , a centro ad peripheriam emiſſis , generari ; haec autem oſſificatio ſi variis modis non ſatis determinandis impeditur , in oſſe hiatus relinquitur , per quem dura mater cum ſubiecto cerebro mox poſt partum , ex multo praecipue vagitu exit . Nec improbabile videtur , fetum etiam a preſſione uteri materni in partu ad hoc malum praediſponi . Ad hiatus margines haud raro os craſſius eſt , ut in

eo oſſe obſervatur, quod CORVINUS deſcripſit, & quod nunc in collectione oſſium morboſorum nuperrime defuncti Cel. LUDWIGII, cui iuſtas lacrymas omnibus cum bonis ex animo conſecro, ſervatum me vidiſſe memini. FERRANDUS, qui ex CORVINO excerpſit, hoc in caſu hydrocephalum partialem adeſſe exiſtimat, in quo dura mater ſenſim vi aquae extrorſum prematur. Hoc vero non in univerſum, ſed tum ſaltem valet, cum hydroencephalocele adeſt: in multis enim aqua nulla deprehenditur, nec, ſi adeſſet, curatio tam bene ſuccederet. Cum per exiguum hiatum cerebrum exeat, mirum videri poſſet, hoc in ſuturis diſtantibus non fieri; ſed cauſſa eſt in promtu. Progreſſus enim ſubſtantiae cerebri per falcem & tentorium cerebelli, quae robuſtioris fabricae ſunt, & a dura matre duplicata formantur, impediri videtur. Hernia cerebri, niſi ſingularis magnitudinis ſit, & multa aqua turgeat, non grave periculum inducit (*a*), dummodo non aperiatur, ſed leni compreſſione ita coerceatur, ut natura cartilagine primum, deinde oſſe, hiatum claudere poſſit. Sic apud Cl. LE DRAN l. c. tumorem non adeo exiguum menſis

(*a*) Annotari tamen meretur, plurimos infantum hac hernia affectorum, qui ſanati fuerunt, hernia in oſſe bregmatis laboraſſe, eos vero in quorum occipite erat, periiſſe.

ſpatio, hiatum autem decem menſium tempore evanuiſſe legimus. Neglecta hernia cerebri ſaepius in gangraenam abit. Fuerunt, qui tumorem iſtum inciderent (*a*), ſed malo ſemper ſucceſſu, cum eadem hic valeant, quae de hydrocephalo tradidimus. Ii autem, qui leni compreſſione malum tollere ſtuduerunt, ut LE DRAN (*b*), TREWIUS (*c*) & CAMPERUS (*d*) felici eventu uſi ſunt. Idem viri ſupra laudati Cel. BOSIUS, GEHLERUS & Cl. HEBENSTREIT Chirurgus aliquoties experti ſunt. Cl. LE DRAN ad hanc compreſſionem perficiendam lintea complicata ſpiritu vini madefacta adhibet, quae per viginti quatuor horas imponit, quo exſiccatione duriora reddita tumori fortius innitantur, & ſic, uti putat, oſſium coalitum promoveant. Alii chartam luſoriam commendant, vel tenuem laminam plumbeam; mihi vero omne ſplenium lenius, aqua vulneraria, ſi placet, imbutum, fini huic inſervire poſſe videtur.

(*a*) REISELIUS l. c. & FRIEDIUS pater, apud CORVIN. l. c.
(*b*) L. c.
(*c*) L. c.
(*d*) L. c.

§. IV.

Spina bifida.

Morbis modo relatis iungemus alium, ſede quidem diverſum, origine autem ipſis affinem, cuius cauſſa utplurimum in capite male affecto latet. Haec affectio, a nobis curatius contemplanda, *ſpina bifida* vulgo appellatur: quam SAUVAGES (*a*) *hydrorhachitidem* & LINNAEUS (*b*) *ſpinolam* vocat. Tumor ſemper congenitus eſt (*), licet aliis in ipſo partu ita oriri poſſe

---

(*a*) *Noſolog.* Tom. II. p. 497. edit. in 4to.

(*b*) *Genera morborum.*

(*) Non ſemper eſſe congenitum, exemplum quoddam videtur demonſtrare. Ante quatuor fere annos conſilium meum peritum eſt pro Viro mihi quondam amiciſſimo, Conſiliario Aulico & Archiatro *Badenſi* D. BUCHIO: qui aetate fere 54. annorum, abſque manifeſtis cauſſis incepit delirare & tandem maniacus factus eſt. Poſt annum fere, ſtupidus evaſit vir pridem doctiſſimus, puerorum adinſtar facile in riſum ferebatur, & extremitatibus inferioribus tremens, eiſdem ſine magna difficultate inſiſtere non potebat. Ex ſeroſa colluvie in cranii, & medullae ſpinalis cavo, haec ſymptomata derivaveram: ſed mox reſcripſit egregius Medicus *Carolſruhenſis*, Doct. SCHWEICKARD, ſe in praedicti Archiatri dorſo verae *ſpinae bifidae* ſigna obſervaſſe, cuius exitum ego, cum terras patrias cum Italia commutaverim, nunc quidem ignoro. Atque certae cauſſae exi-

videatur, ſi caput, in quo ventriculi cerebri aqua pleni ſunt, ſub partu valide comprimatur. Equidem id perſuadere mihi nequeo, cum defectus oſſificationis tam inſignis ſit in ſpina bifida, & fetus abortivos eo malo laborare videamus.

ſtunt, quae adultorum oſſa, puerilibus ſimilia reddere queunt. Puellam novi pulcherrimam, corporis ſui queſtum facientem & lue venerea adfectam, a qua nunquam recte fuit curata. Poſt ſex fere annos in ergaſtulo ductos, mortem obiit infelix, & Cadaver in Theatro Anatomico *Bruchſalienſi* publice diſſecui. Quantum eheu a priori elegantia diſtabat! .... corpus non parvae quondam ſtaturae, vix tres nunc cum dimidio pedes habebat: caput humeris impreſſum haerebat, pectus & dorſum inſigniter protumebat, pelvis adeo compreſſa, ut vix contentis viſceribus locus eſſet: caput enim femoris utriuſque, acetabulo inhaerens, hoc, cerae adinſtar, ad interiora compulerat, atque utrumque alteri vicinum reddebat. Coſtas, ipſaque femoris oſſa, omni modo flectere potui, & cereum ſic ſceleton ex flexili quondam Venere paravi, cuius pars adhuc potior in Muſaeo *Bruchſalienſi* conſervatur. Quodſi huic puellae hydrops capitis acceſſiſſet; quam facile fuiſſet *ſpinae* quoque caveam aqua repleri, quam facile eandem dividi & hydrorachitidem ſiſtere! .... Magnam certe morbi huius cauſſam in *defectu oſſificationis* haerere docuit ill. quondam Collega ANDRAEAS MURRAY (*in Programmate, ſpinae bifidae, ex mala oſſium conformatione initia ſiſtente; Goetting.* 1779.). Neque adultorum etiam oſſa protinus a cauſſis ſolutionis videntur eſſe libera, quamvis rariſſima ſint ſpinae bifidae in illis exempla.

Reſidet plerumque hic tumor, qui aliquando pellucidus apparet, in ultimis lumborum vertebris & ſuperiore oſſis ſacri parte, in eoque proceſſus ſpinoſi tactu quaſi diviſi percipiuntur, ut inde ſpinae bifidae nomen commode obtinuerit. Non deſunt tamen exempla, eius altiore loco poſiti (*a*). De geneſi ſpinae bifidae anno huius ſaeculi triceſimo ſecundo & tertio non mediocris controverſia mota eſt inter TITSINGIUM & ULHOORNIUM Chirurgos Amſtelodamenſes. Culpa nempe ab ULHOORNIO in ſitum infantis, & flexionem vehementem ſpinae, quando fetus caput deorſum vertere ſeque dare praecipitem prohiberetur, coniecta eſt, cui TITSINGIUS acriter reſpondet, qui hunc morbum vel ab imaginatione matris vel hydrocephalo vel externa iniuria deduxit (*b*). Noſtris temporibus RUYSCHIUS in primis ea de re bene egit, ſolamque aquam, in capite vel ſpina collectam, in cauſſa

---

(*a*) RUYSCH. *Obſerv.* 34. in prima vertebra colli. Vid. SWAAGERMAN lib. cit. in indice ſub tit. *waatergezwel der ruggegrat* cf. HALLER *opp. min.* Tom. III. pag. 13. not. a. I. Z. PLATNER proluſ. *de anat. ſubtil. ad uſum chirurg. non negligenda* & Cl. GEHLER diſſ. *de partu difficili ex hydrope fetus* p. 14.

(*b*) Conf. PLATNER *inſtit. chirurg. rat.* §. 747. item Cel. HALLER l. c. p. 136. & in notis ad BOERHAAVII *method. ſtud. med.* p. 785.

eſſe luculenter demonſtravit. Medullam ſpinalem proceſſu durae matris inveſtiri, notum eſt, ita tamen, ut laxius eam circumdet, & inter eam & involucrum a dura matre ſpatium aliquod ſuperſit. Si igitur in cavo cranii humor ſeroſus, qui in naturali ſtatu, ut in omnibus cavis corporis, exſudat, morboſe augetur, & oſſa capitis vel plane non, vel haud ſatis extenduntur (*a*), aqua ad canalem ſpinae dorſi deſcendit, & in fine coeco proceſſus durae matris, qui non penitus ad os ſacrum porrigitur, ſtagnans eum diſtendit. Fit exinde, ut proceſſus ſpinoſi, ex duabus partibus compoſiti, non autem, ut credebant veteres, omnis ſpina & vertebrae ipſae ſeparentur. Mirum videri poſſet, hanc dilationem poſterius magis, quam anterius fieri; at facile intelligimus reſiſtentiam poſterius, ſeu eo loco, ubi plerumque hoc vitium percipitur, minorem, quam in columna corporum vertebrarum eſſe; neque ad muſculorum vim hic magnopere reſpiciendum eſt, cum violenta eiuſmodi diſtenſio a tenerioribus muſculis vix oriri queat; ſemper tamen, ubi ſpina bifida deprehenditur, defectus oſſificationis praegreſſus eſt. Tumor igitur

(*a*) Alias enim hoc vitium cum hydrocephalo coniunctum eſt, alias ſine eo exiſtit. Conf. Clariſs. GEHLER l. c. not. l.

eminens, praeter integumenta in univerſum, ſaccum ex proceſſu durae matris aqua repletum, non autem, ut quidam volunt, herniam medullae ſpinalis continet, quippe quae ſemper anteriora verſus ſita eſt (*). Apud antiquiores medicos non niſi obſcura veſtigia huius morbi deteguntur, claram vero eius deſcriptionem & figuram primus ſuppeditavit TULPIUS (*a*), eique nomen ſpinae bifidae dedit. Poſt eum SCHENKIUS (*b*), optime vero omnium in eo deſcribendo RUYSCHIUS (*c*) verſatus eſt. Iconem ſtructurae internae ſatis accuratam poſt TULPIUM exhibet SWAGERMAN (*d*). Accidit ſaepius, ut infantes eiuſmodi a compreſſione medullae ſpinalis & nervorum caudae equinae hemiple-

---

(*) Finem medullae ſpinalis cum involucro ſuo, per foramen vertebrae lumbalis ultimae, in tumorem aquoſum libere propendentem, ut ultima tantum propendix eidem interius adhaereret, obſervavit cl. MOHRENHEIM (*Beobachtungen Verſchiedner Chirurgiſcher Vorfaelle*, I. *Band.*), neque exempla alia apud alios Auctores omnino deficiunt.

(*a*) Lib. III. *Obſ.* 29. 30.

(*b*) *Obſ.* L. V. 48. 57.

(*c*) *Obſ.* 34. 36.

(*d*) L. c. p. 78. ſeq. Mirum eſt, experientiſſimum diſſectorem MORGAGNIUM hoc vitium ſemel tantum vidiſſe vid. *de ſed. & cauſſ. morb.* Epiſt. XII. art. 10. An forte in Italia rarius occurrit?

miplegia, vel paralyſi extremitatum inferiorum laborent: interdum tamen partes ſuperiores aeque ac inferiores ſenſu & motu fere deſtituuntur (*a*). Omnes propemodum tumore gangraena affecto, moriuntur; quidam tamen ad ſecundum, tertium, atque adeo decimum quartum vel viceſimum annum pervenerunt (*b*). Curatio neque externis, neque internis remediis efficitur. Tumorem ligatura tollere FORESTUS (*c*) & HEISTERUS (*d*) infelici ſucceſſu tentarunt. Inciſionem quoque tumoris multi inſtituerunt, defenderunt, quid quod ſuaſerunt (*e*); ſed ea ob viciniam medullae ſpinalis ſemper lethalis eſt: non quia, auctore TULPIO (*f*), nervi vulnerantur, hi enim anterius ſiti ſunt: ſed quia

---

(*a*) SAUVAGES *Noſolog.* Tom. I. p. 763. 798.
(*b*) RUYSCH. Obſ. 35. ad primum tantum annum eiuſmodi infantes vitam vivere poſſe autumat. Sed TREWIUS *Nov. Comment. N. C.* Obſ. 100. pag. 398. ad decimum quartum talem puellam vixiſſe narrat. Reliqua exempla SWAAGERMAN l. c. §. 121. ſeq. §. 146. & in indice profert.
(*c*) *Obſerv. chirurg.* III. 7.
(*d*) Citante SWAAGERMAN l. c. p. 137. Hoc in caſu infans, ſimul ac filum tumorem incideret, debilitate correptus ſequenti die periit.
(*e*) Quae huc pertinent exempla vid. apud SWAAGERMAN l. c. §. 147. 151. 153. 155. 157. 165. 168.
(*f*) L. c.

aer, ad nervos caudae equinae & medullam ſpinalem penetrans, immo uſque ad caput adſcendens, (!!) omnia corrumpit & mortem accelerat. In iis infantibus, quos, aperto tumore & emiſſa aqua, ſervatos eſſe nonnulli contendunt, tumor aut integumentis modo haeſit, aut, illaeſa dura matre, ei tantum incubuit, ideoque ad tumores tunicatos magis, quam ad ſpinae bifidae ſpecies pertinebat. Unum hoc in vitio a nobis iam deſcripto, ſine periculo tentari poteſt, ut mollioribus ſpleniis impoſitis tumor a vi externa defendatùr, &, ſi ſponte aperitur, celerior aquae effuſio, ſubiectis partibus infeſta, quantum poteſt, cohibeatur (*a*).

§. V.

Organa ſenſuum externorum laeſa. Labia coalita.

Praeter morbos enumeratos capitis, vel a capite male affecto ortos, alii nunc conſiderandi ſunt, qui aperturas capitis infeſtant. Haec ſo-

(*a*) Pileolum plumbeum imponere ſuadet ULHOORNIUS in epiſt. *de ſpina bifida* ad TITSINGIUM Amſtel. 1733. ſub titulo: *noodig denkbeeld* &c. edita. Vereor autem, ne attritio noxia inde oriri poſſit.

ramina aut concreta & clauſa, aut praeternaturali modo fabrefacta ſunt. Ad vitia primi generis coalitum palpebrarum naturalem ſ. ancyloblepharon congenitum referimus. Hoc in morbo vel palpebrae coalitae ſunt membrana, quae nonnunquam foraminibus pertuſa eſt, vel ipſi tarſi inter ſe iuncti deprehenduntur, vel palpebrae cum cornea concreverunt. In primo caſu medela non adeo difficilis eſt, & operatione chirurgica tunc ſtatim, cum poſt partum tumor palpebrarum, vix non ſemper in neonatis occurrens, ſubſedit, vitium tolli poterit. In altera ſpecie operatio magis ardua & ad quintum ſextumve menſem differenda eſt, quo tempore oculus magis evolutus deprehenditur. Saepiſſime poſt operationem entropium relinquitur, ſi vera tarſorum concretio adfuerit. Tertia denique ſpecies nulla fere operatione corrigi aut tolli poteſt. Si in palpebris, membrana intermedia iunctis, operatio ſuſcipitur, infans faſciis bene conſtringendus eſt, ne, artus movendo, chirurgum impediat, vel ab eo oculus laedatur, quod, & de omnibus operationibus valet, quas in hoc & ſequentibus paragraphis ſuadebimus. Si membrana, coalitum efficiens, foraminibus pertuſa eſt, immiſſo ſpecillo ſulcato & tarſis parcendo ea diſcindatur; ſin membrana integra eſt, plica perpendicularis, digitis prehenſa, tranſverſim incidatur, & deinde,

immiſſo ſpecillo ſulcato, cuius apici lamina rotundata affigitur, rima aperturae oculi parallela efficiatur: alii forfice utuntur, cuius altera extremitas globulo munita eſt (*a*). Operatione facta, lamina ex veſica tenuiori, qua bractearii utuntur (*Goldſchlägerblättchen*) ad concretionem impediendam imponatur. Cl. DELEVRYE nihil imponi vult, ſperans motum oculi novum palpebrarum coalitum impedire poſſe; mihi tamen tutius videtur, ſi inciſione facta oculum quacunque ratione muniamus. Palpebrae quoque lacte, vel collyrio ex aqua quadam deſtillata v. c. foeniculi aut roſarum cum mucilagine cydoniorum crebrius eluantur. Tarſorum coalitus iterum vel membrana intermedia fit, vel ipſi tarſi ſibi agglutinantur. Si prius, modo iam deſcripto operatio inſtituatur; ſed cantho oculi interno ſuſpenſa manu parcatur, ne puncta lacrymalia vulnerentur. Per id tempus, quo operatio differtur, oculus digito ſaepe leniter fricandus eſt, ut concretio palpebrarum cum bulbo impediatur. In ipſa operatione attendendum eſt, ut ſuperior palpebra illaeſa maneat, cum eius uſus in aperiendo claudendoque oculo, nec non lacrymis dirigendis maior ſit inferiore:

(*a*) IUNCKER *Conſpect. Chirurg.* p. 517. Confer quoque de hac operatione P. AEGINETAM Lib. VI. cap. 15.

melius igitur eſt: ſi aliter fieri nequit, inferiorem incidere, cuius uſus non tantus eſt. Diſtincte operationem noſtram deſcribit DELEVRYE (a). Denique, ſi palpebra cum cornea concreverit, parum auxilii exſpectandum eſt. Interim tamen tentare licebit, an, mobilitate palpebrae ſupra bulbum oculi non penitus ſublata, primum inciſione palpebrae ſeparari, & deinde cohaeſiones cum bulbo tolli poſſent, ita tamen, ut in palpebram magis, quam in ſcleroticam & corneam ſcalpellum dirigatur. Peracta operatione lamina plumbea bulbum inter & palpebram ponitur. Quodſi etiam operationis eventus votis non reſpondeat, id tamen obtinebitur, ut, oculo artificiali ſubſtituto, deformitas minui poſſit. Curatio cataractae, quae nonnunquam congenita eſt b, in neonatis locum non habet, ſed ad adultiorem aetatem differenda eſt.

Auditus organon in neogenitis non minoribus incommodis affici poteſt. Saepius enim ceruminis copia aucta & ſordibus meatus externus

(a) On ſouleve un peu la baſe ſupérieure, & avec la pointe d'un biſtouri on taille une paupiere, la ſupérieure ſe retire & enleve le tarſe, l'inférieure deſcend. DELEVRYE *Tr. des accouchemens* p. 388. cf. *Malad. des enfans* p. 161.

(b) Vid. HILDAN. Cent. V. Obſ. 3. ACRELLS *chirurg. Geſchichte* p. 51. 53. ſeq.

obſtruitur ; id tamen vitium, cum cerumen in neonatis ſatis fluidum ſit, aqua tepida iniecta facile tollitur, quae, ut Anglorum noviſſima docuerunt exempla, etiam ceruminis indurati optimum menſtruum eſt. Si meatus adiutorius externus membrana clauditur (*a*), ea crucis in modum incidatur (*b*), cautione tantum habita, ne ſubiecta tympani membrana laedatur, quod in infantibus, quibus nullus fere canalis oſſeus eſt, facile accidere poteſt. Si eadem membranula profundius haereat, auxilium nullum ſupereſt, & infantes plerumque ſurdi & ex eo muti evadunt.

Nares ſordibus ſaepe obſtruuntur, quae aqua tepida, lacte, oleo, vel oleo ovorum emolliendae ſunt. Noſtrae obſtetrices butyrum cum herba maioranae adhibent; lac vero aut oleum ad hanc rem ſufficiunt. Applicatur id optime ope plumulae, ex ave minori, huic fluido immiſſae. Nec minus, ſi membrana clauduntur (*c*) nares, illa

(*a*) *Miſcell. N. C.* Dec. I. ann. VI. p. 235.

(*b*) Cauſtica enim hic aliena ſunt, cum ipſam tympani membranam laedere poſſint. Aculeato cultello utitur AEGINETA L. VI. c. 23.

(*c*) Vid. TH. BARTHOLINI *Act. Hafnienſ.* Vol. I. pag. 199. cf. HALLERI *opp. min.* l. c. p. 37. Curationem huius vitii, poſt variolas reſidui vid. apud HEISTERUM *Chirurg.* Tom. II. p. 623. ſeq.

diſcindatur, & turundis mollioribus vulnus apertum ſervetur, quae in lactatione extrahantur.

Fit etiam, ut labia concreta ſint (*a*). Semper tamen ſulcus ſupereſt, qui ſcalpello viam quaſi monſtrat. Inciſio non adeo ampla ſit, ſed ea tantum magnitudine, ut digitum & papillam nutricis comprehendat: temporis enim ſucceſſu vagitu infantis dilatatur. Operatio in vitiis naſi & labiorum mox inſtituenda eſt, quia iis ipſis morbis reſpiratio & lactatio impeditur.

§ VI.

Labium leporinum.

Labiorum hoc in recens natis occluſorum vitium nos ad aliud malum congenitum, frequentius & gravius ducit, quod *labium leporinum* vocatur. Quamquam hoc inter morbos chirurgicos infantum ob gravitatem ſuam & frequentiam eminet; nos tamen in hac tractatione non adeo fuſi erimus, cum in omnibus libris chirurgicis, & in multis egregie de illo exponatur. Sufficiat

(*a*) *Act. phyſ. med. N. C.* Tom. II. Obſ. *96.* p. 210. Plura exempla collegit HALLERUS in *Element. phyſiol.* Lib. XXIX. p. 199. & in *Opp. min.* l. c. p. 37. not. p.

igitur varias animadverſiones de hoc malo hic inſerere. *Labium leporinum vero* (h. e. quod *congenitum* eſt, a vulnere enim productum *ſpurium* appellatur); in labio ſuperiori tantum deprehenditur, & vel ſimplex eſt , vel duplex aut triplex, in cuius fiſſura pars carnea, uvulae ſimilis dependet. Si palatum oſſeum fiſſum ſimul eſt, *complicatum* hoc malum dicere ſolent, ubi ſaepius unus vel plures dentes ex ipſo hiatu prodeunt. Diviſio palati oſſei interdum uſque ad uvulam continuatur: quid quod haec ipſa duplex deprehenſa fuit. Infantem contra commemorat SWIETENIUS (*a*), cuius palatum oſſeum labio integro diviſum vidit. Quod ad geneſin & indolem huius mali attinet, Cel. LOVIS (*b*) in egregio ſuo de hoc vitio commentario notat (*c*), in connato labio leporino defectum ſubſtantiae nullum deprehendi, ſed hiatum in partibus mollibus actione muſculorum oriri, eiuſque anguſtiam vel amplitudinem ab illorum vi vel aucta vel imminuta pendere. Neque in oſſe ſubſtantia perditur, ſed tantum oſſa maxillaria diducuntur: ex quo fit,

(*a*) *Comment. in* BOERH. *Aphor.* T. IV. §. 1354.
(*b*) *Mémoires de l' Acad. de Chir.* Tom. IV. edit. in 4to vel Tom. XII. edit. in 12mo.
(*c*) Negat hoc cl. VALENTIN in *Recherches critiques ſur la chirurgie moderne*. Amſt. 1772. Conf. cl. RICHTER *chirurg. Bibl.* T. II. P. 2. p. 40. ſeq.

ut infantes, hoc vitio affecti, maxillam ſuperiorem iuſto latiorem habeant (*a*), in quo caſu vi muſculorum partes labiorum molles ſimul divelluntur, & ita labii diviſio efficitur. Labium leporinum, non modo deformitatem affert, ſed lactationem quoque impedit, quoniam fiſſo labio infans ſugere nequit. Si palatum oſſeum quoque diviſum eſt, ſuctio difficilior adhuc redditur, & lac, ſi etiam cochleatim ingeritur, ad nares regurgitat vel in aſperam arteriam fluit. Inde fit, ut cum hoc vitio nati, licet mox poſt partum alacres videantur, ſaepiſſime tamen moriantur (*b*). Levare incommodum Cel. PETIT (*c*) ſtuduit, ubere ſemipleno caprae in os immiſſo, quo eius mollitie, craſſitie & longitudine fiſſura palati & narium cavea occluderetur; ſaepius vero illud retrahendum eſt, ne reſpirationi officiat. Multi tamen infantes huic malo adſueſcunt, &, elevato linguae dorſo fiſſuram palati claudunt, apice autem linguae optime ſugunt. In electione nutricis attendendum, ut papillae eius paulo longiores & craſſiores ſint. Si vero infans plane ſugere nequeat, MORGAGNIUS (*d*) clyſmata nutrientia ſuadet, quo vita eius per quoddam tempus con-

---

(*a*) LEVRET in *Journal de médecine* 1772. p. 248.
(*b*) DOEVEREN *Spicileg. Obſervat. anat.* p. 55.
(*c*) *Hiſtoire de l' Acad. des Scienc.* ann. 1735.
(*d*) *De ſed. & cauſſ. morb.* Epiſt. XLVIII. art. 60.

ſervetur. Iam quaeritur, utrum operatio labii leporini ſtatim a partu fieri queat; an per aliquod tempus differri debeat. Cum vero illa unicum remedium ſit, quo hiatus claudi & vitium tolli poſſit, eam diu prolatandam eſſe vix putaverim, praeſertim ſi lactatio hoc vitio impediatur. Accedit & hoc, quod infantes, quo iuniores ſint, eo minus incommoda operationis ſentiant, cum fere ſemper dormiant, & vulnera eorum citius, quam adultorum ſanentur; vulnus autem, ex hac operatione relictum, imprimis ſi illa ſine acubus methodo Cel. LOVIS, inferius deſcribenda, peragitur, celerrime curatur. Coaleſcentibus quoque poſt operationem labiis, hiatus in oſſe ſponte ſenſim clauditur & concretione aboletur (*a*). Difficile quidem explicatu eſt, qua ratione parietes oſſei hiatus, gingivis obducti, coire queant. At neſcio, an magis hoc mirari debeamus, quam ſolitiſſimum illud phaenomenon in maxillis hominum, aetate provectiorum, quorum maxillae edentulae, illaeſis gingivis, frictione adeo atteruntur, ut tenue tantum fruſtulum ex craſſo oſſe remaneat. Ex his tamen illud elicimus, palato etiam oſſeo hiante, operationem inſtitui debere, neque

(*a*) LA FAYE *Mém. de l' Acad. de Chir.* edit. in 4to T. I. p. 605. cf. LEVRET *l' art des accouch.* p. 243.

audiendos eſſe, qui eam tunc maxime difficilem & inutilem eſſe perhibeant: cum bene multa exempla felicis curationis ea methodo peractae proſtent. Si operatio non mox a partu, ſed intercedente aliquo tempore inſtituitur, non incongrue infanti faſciarum inferius deſcribendarum una applicatur, ut interea hiatus oſſeus a retrahentibus muſculis non augeatur, & ipſa labia iam quodammodo contrahantur: quae res inter praecipua felicis curationis adiumenta omnino numeranda eſt.

§. VII.

Continuatio.

Ubi autem ad ipſam operationem iam perventum eſt, id agendum requiritur, ut, reſectis marginibus labii fiſſi, vulnus recens efficiatur, cuius margines mutuo contactu ad leges naturae coaleſcant. Fuſiorem huius operationis deſcriptionem omnes fere libri chirurgici tradunt, hinc nobis ſufficiat animadverſiones quaſdam de ea hic adieciſſe. Veteres in operatione labii leporini ad reſecandos fiſſurae margines forfice utebantur; at iam LE DRAN (*a*) in ea ſcalpellum adhibuit, cuius uſum recentiores, & inter

---

(*a*) *Operat.* p. 448.

eos praeſertim Cel. LOVIS (*a*) eam ob cauſſam maxime & iure quidem commendant, quia forficis vulnera ſemper colliſa ſunt, ideoque male curantur. Labii leporini pars vulneranda manibus comprehenditur; olim vero peculiares forcipes adhibebantur (*morailles*) (*b*), quibus labia comprimebantur, qua re ſimul haemorrhagiam impediri putabant, quae vero inſtrumenta ob contuſionem & dolorem quem excitant, nunc iure reiecta ſunt. Labium inter & marginem alveolarem maxillae lamella ex ligno, charta conglutinata, plumbo vel cornu confecta interponenda eſt, quo ſcalpellum punctum fixum nanciſcatur & reſciſſio partis auferendae eo melius perficiatur. Si labium gingivis per frenula adhaeret, haec in operatione ſeparanda ſunt. Neque eorum curam poſtea neceſſariam duco, cum affluxus ſalivae ſatis impediat, quo minus denuo naſcantur. Falſo plerique opinantur, margines fiſſurae in labio leporino calloſos eſſe, quod raro vel numquam ſit. Ut plurimum enim molles ſunt, ex carne pulpoſa, vivo colore rubello tincta, compoſiti, & cuticula tenuiſſima tecti, quae inciſione penitus tollenda eſt. Alias enim cicatrix imperfecta foret, & fi-

(*a*) *In Comment. ſup. cit.*
(*b*) HEISTERI *chirurg.* tab. XX. fig. 6. 7. & GARENGEOT *traité des inſtr.* Tom. I. p. 396.

ſtula ſatis difficulter ſananda oriri poſſet. Veteres chirurgi labia vulneris contrahere & ſutura intorta (*ſuture entortillée*) coniungere eamque ſuturam faſciis firmare ſolebant. Iam hic non eſſe arbitror locum, ubi varias acuum ſpecies, figura, longitudine & materia inſigniter diverſas, nec non ſuturae huius perficiendae varias methodos commemorem, cum haec in omnibus fere chirurgorum ſcriptis prolixe deſcripta ſint. Id tamen monendum eſſe puto, inter veteres iam fuiſſe, qui ſuturam ſiccam hoc in caſu cruentae praeferendam eſſe docerent, quod deinde magis Cll. PIBRAC & LOVIS confirmarunt (*a*). Monent quidem alii (*b*) vulnus in partibus mollibus facile cedentibus nulla ſutura cruenta confirmatum vix firmiter ſine difformi cicatrice coaleſcere; mihi autem perſuadeo, applicata lamella brevi inter labia & marginem alveolarem vulnus optime compreſſum & conſtrictum ſola ſutura ſicca recte ſanari poſſe, idque eo magis, cum tot egregiorum chirurgorum experimenta oſtenderint, acus ad coalitionem huius vulneris non neceſſarias eſſe.

(*a*) Vid. Cl. PIBRAC *comment. ſur. l' abus des ſutures Mém. de chirurg.* edit. 12mo. Tom. IX. p. 12. & uberius adhuc Cl. LOVIS *comment. cit.* Tom. XII. eiuſd. edit. Cf. quoque Cl. BIDERMANN diſſ. *de labio leporino* Argent. 1770.
(*b*) Cl. RICHTER *Chirurg. Bibl.* 1ſten B. 2tes. St. p. 31.

Veteres, in labio leporino duplici, utplurimum papillam eminentem utrinque reſecare, triangularem ipſi figuram dare & hiatum deinde conſueto more, acubus per ipſam mediam papillam traiectis, claudere ſolebant. Aliter tamen rem & melius perſici docet Cel. LOVIS (*a*), ſi operatio duobus quaſi temporis intervallis (*à deux tems*) peragatur, ita, ut primo hiatus duplex in ſimplicem mutetur; dein vero reliqua curatio, ut in ſimplici labio leporino inſtituatur. Dentes, ſi in hiatu adſunt, niſi neceſſitas ſumma urgeat, non evellendi ſunt, ut plerique volunt, cum eo inflammatio & dolor inſigniter augeatur. Tentandum potius eſt, an in ſitum naturalem reduci poſſint, quod ſaepius factum eſſe Cl. LOVIS (*b*) tradit. Quodſi vero evulſio dentis, vel oſſis eminentis ſublatio (*c*) evitari plane nequeat, id aliquot dies ante operationem ſuſcipiendum eſt (*d*), quo ipſa operatio non adeo dolorifica ſit, & inflammatio magis evitetur. Sive autem acubus, ſive methodo, a Cl. LOVIS commendata, ſutura ſcilicet ſicca, haec operatio ſuſcepta fuerit; labia

---

(*a*) L. c. Obſ. 6.

(*b*) L. c. p. 142.

(*c*) Haec optime fit inſtrumento a CHESELDENIO delineato in annotationibus ad verſionem anglicam *operationum* cl. LE DRAN a GATAKERO factam Tab. V.

(*d*) BERTRANDI *Traité des oper.* verſ. gall. p. 389.

tamen cruentata poſt operationem faſciis conſtringenda ſunt, quales varii deſcripſerunt (*a*). Sic enim inſtrumentum chalybeum circulare commendavit VERDUC (*b*); alii genas ope faſciae, ex virga balaenata confectae, antrorſum premunt (*c*). Aliam methodum falſiſſime CELSO tribuunt nonnulli (*d*). Faſciarum autem uſus praecipue in eo conſiſtit, ut vulneris labia ſibi magis applicentur & vis muſculorum, in retrahendis marginibus hiatus adeo efficax, imminuatur. Cl. LOVIS in loco ſaepius citato, poſt ſuturam ſiccam faſciam unientem commendat, quam ſpleniis ſuppoſitis fulcire ſolet. Cl. BIDERMANNUS vero (*e*) deſcribit faſciam unientem filis decuſſatis, ab An-

---

(*a*) Vid. PLATNERUM & HEISTERUM *in chirurg.* l. c.

(*b*) *Traité des operat.* c. 23. ubi *Serre-tête* vocat.

(*c*) QUESNAY apud LA FAYE l. c. Cl. VALENTIN. l. c. inſtrumentum ex duabus forcipibus ſibi parallelis compoſitum deſcribit, quibus margines vulneris poſt operationem cochleae ope ſibi applicantur & ita conſolidatio eorum obtinetur.

(*d*) Aiunt enim CELSUM L. VII. c. 9. in labio leporino ſuaſiſſe, ut in genis ad latus oris duae lineae incidarentur, eo conſilio ut adducta ad coalitum cutis eo facilius ſequatur. At CELSUS l. c. nequaquam de labio leporino, agit, ſed oſtendit, quomodo curta in labris v. c. poſt extirpationem carcinomatis ſarciri poſſint, neque genas perſcindit, ſed integumenta tantum incidit.

(*e*) L. c.

glis, ut putat, inventam, qua tamen Lipſienſis Chirurgus exercitatiſſimus HEBENSTREITIUS primus, quod ego ſciam, uſus eſt (*a*). Poſt operationem fletus, ſternutatio, riſus, & quaecumque motus muſculorum faciei ciere poſſunt, quatenus in tenellis infantibus fieri poteſt, evitari debent. Infantibus lactantibus lac cochlearibus per aliquod tempus ingeri debet. Palatum oſſeum, ſi ad aetatem provectiorem uſque fiſſum maneat, loquelam difficilem reddit (*b*). Hoc in caſu fortaſſe machina illa, qua IO. BECKIUS, quem nuper hic Lipſiae vidimus, defectum palati reſarciebat lamina lignea & coriacea, quam ſpongiae in nares immiſſae & fili dente afflixi ope firmabat, paucis mutatis, utiliſſima eſſe poterit; quae vero in infantibus cum eorum nares nimis anguſtae ſint, nec dens adſit, quo firmari queat, adhiberi nequit (*c*). Alii quoque ſimiles fere machinas

(*a*) Delineavit eam faſciam HENKELIUS *Anweiſung zum chirurgiſchen Verbande*, fig. 104. non tamen commemorato Cl. HEBENSTREITII nomine.

(*b*) *Pſelliſmus iotaciſmus* SAUVAGES *Noſol.* I. p. 783. ubi potiſſimum litteras gutturales eloqui nequeunt. Illud tamen vitium ſaepe etiam ex prava conſuetudine ortum ducit.

(*c*) Vid. Cl. CAMPER *naauwkeurige afbeelding en beſchryving.* &c. Amſtel. 1771. Quae deſcriptio etiam latino idiomate prodiit.

(*) Virum hunc, de quo loquitur Auctor, *Ioannem Le-*

rhinas deſcripſerunt, quae tamen in tenellis vix

Beckium, multis Europae Medicis notum, quam, ut ſingulari narium mutilatione lucrum faceret indefeſſus peragravit, ego, quinque ante hos annos in Noſocomio *Bruchſalienſi*, cuius Director tunc eram, poſtquam ibidem ex Phthiſi purulenta obiiſſet, diſſecui. Sectionem mecum perfecit D. IOACHIMUS WRABEZ Chirurgiae tunc Profeſſor, cuius cura, caput ipſum *Beckii*, *Friburgum* delatum, a cl. MEDERERO delineari iuſſum & accurate deſcriptum eſt. Deficiebant omnia tum narium, tum palati oſſa, quae ab *ozoena*, probabiliter *venerea*, in totum deſtructa fuerant: hinc vox periit omnis, foedoque ſpectaculo cibi per nares regurgitaverunt. Induſtria, neceſſitatis filia, ſpongiam naribus immittere, ſaepius de die repurgandam, hunc virum docuit. Spongiae ſuppoſuit corium durum, quod palati referret fornicem, & ſingula firmavit filo, denti, dein naſo artificiali, quem, ſat elegantem, antro narium conſpectu horrido ſuperimpoſuit, affixo. Non *palatum* modo, ſed & *uvulam* mobilem, quam neceſſariam crediderat, ſibi paravit infelix. Tali inſtructus propoſcide, voce intelligibili loquebatur, deglutiebat ſingula bene, & abſque horrore conſpiciebatur; vix vero ornatum deponebat, vocem omnem amittens, ſpecum horridam obtulit, per quam, linguam longe exterens hinc inde volubilem, non pueris ſolum, ſed & viris terrorem incuſſit. Videtur ergo vox humana ad ipſum potius palati fornicem, quam ad laryngem reſonare & corpus adquirere, quamvis ab hoc, aeris moderamen habeatur & modulatio. Uvula ſua artificiali, neſcio quo facto, ſemel amiſſa, obſervavit *Beckius*, ſe aeque bene & deglutire poſ-

locum habent (*a*). Hinc in iis, donec maiora

ſe, & ſermones proferre: hinc, ut partem minus neceſſariam, reponere neglexit & oeconomus reſtrinxit. Vidi paulo poſt infantem 6. menſium, cum labio ſuperiori, & palato quoque ad imas fauces uſque, & in ipſas nares, *bis* fiſſo, ut parum de toto fornice oſſeo ſupereſſet. Suſcepit operationem Chirurgus, & quamvis ego deſideraſſem, ut ex una ſaltem parte labium leporinum ſectione curaret, alteram alio tempore, ſeu binis ſic vicibus, inſtitueret operationem; unica tamen vice totum opus audacior peregit. Abhinc factum eſt, ut tertia iam die pars media, filis continendis impotens, ab his laceraretur, neque ſuperfuerit amplius ex illa, quod ulteriorem operationem unquam permittere potuiſſet. Cogitaveram de *Beckii* palato artificiali hic forte adplicando: ſed dentes in hac aetate deſunt, quibus filus committatur, parteſque continuo magnitudine creſcunt, ut machinam ſaepius certe mutare cogeremur. An *ſpongia*, in parvum volumen compacta, filo fixata, narium hiatui utrique intrudi & eâdem, muco expanſa, palati duplex fiſſura repleri potuiſſet?... Videbatur hoc ſupereſſe, ut ſuctionem puero poſſibilem redderem: nam pauciſſima tantum, quae nares praeterlabebantur, & quidem pultacea tantum, deglutire poterat. Si ſpongiam ſubinde cum nova mutandam habuiſſem: credebam, facile eandem, ſecto ad nares filo, ore eximendam, novamque per has imponendam fore, donec a natura forſan palati fornix clauderetur. Sed miſerulus pauco tempore ſupervixit, nec amplius poſſibile fuerat experimento perituro ſuccurrere.

(*a*) FAUCHARD *Chirurgien dentiſte* Ch. XX--XXIII. Tab. 38. 39. & 40.

ſuſcipi poſſint, curatio tantum palliativa ſuperius deſcripta tentanda eſſe videtur.

§. VIII.

Morbi linguae & faucium.

Praeter labium leporinum aliis adhuc oris fauciumque morbis, lactatio infantum impeditur: iis nempe, quibus liberior motus linguae cohibetur. Haec enim inferius quaſi firmatur ligamento, ex duplicatura membranae, oris cavum inveſtiente, compoſito, quod poſterius fibris quibuſdam muſculoſis augetur. Eſt huius ligamenti in ſtatu naturali uſus, ut impediat, quo minus lingua nimium retrahatur; ubi vero illud morboſe ad apicem linguae protenditur, obſtaculum oritur, ne lingua ad palatum elevari, vel ad labrorum extrema adduci poſſit (*a*). Inducitur ex eo linguae grave vitium, quod in neogenitis lactationem, in adultioribus, ſi ad eam aetatem permanſerit, loquelam depravat. Nonnumquam apex linguae ita retrahitur, ut cordiformem quaſi

---

(*a*) Hic morbus ab obſtetricibus noſtris *die angewachſene Zunge* lingua adnata vocatur. Gallis eodem, quo ligamentum, nomine *le filet*, Graecis *ancyloglosſon*, latinis *frenum* ſ. *linguae ligatio* appellatur.

ſiguram habeat. De diviſione huius freni longioris iam veteres cogitarunt (*a*), qui tamen in ea fere omnes tantum ungue & digito utebantur: & obſtetrices in quibuſdam Italiae locis unguem pollicis in dextra manu, cultri in modum elongatum adhibeant (*b*). Nec tamen hanc, quae digitorum miniſterio fit, dilacerationem commendaverim, cum ſaepius vulnus hac ratione nimis magnum, & ſemper colliſum exiſtat (*c*) ideoque ulcera ſordida nonnumquam relinquantur; quod tamen non, ut plebeculae ſuperſtitio vult, ex eo pendet, quod ungues digitornm venenati ſint (*d*). Aliae nutrices nummi margine, chirurgi autem phlebotomis, ſyringotomis, ſcalpello & forfice utebantur. Interim tamen fere omnes qui chirurgiae praecepta tradunt, de obſtetricibus, frenuli operationem ſine ullo diſcrimine infantum inſtituentibus, non fruſtra conqueruntur. Tentandum igitur eſt, an infantes, immiſſo in os digito, vel papilla nutricis, ſugere & linguam ultra dentes promittere queant: ſi enim hoc poſſunt, operatio omittenda,

---

(*a*) CICERONI cognita fuit haec operatio *de divin.* L. II. c. 46. Conf. P. AEGINET. L. VI. c. 29.

(*b*) FALLOPIUS *inſtitut. anat.* Frf. 1600. fol. 457.

(*c*) FABRIC. AB AQUAPENDENTE *de operat. chirurg.* p. 34. in *Operibus* Patavii 1647. impreſſis.

(*d*) Idem autumat LOVISE BOURGEOIS *Hebammenb.* P. I. c. 25.

vel, ſi parentes urgeant, ſimulanda tantum eſt; ne poſtea ab imperito forſitan non ſine detrimento tentetur. Etſi enim frenulum longum deprehendatur, tamen, ſi lactationi illud nullum obſtaculum obiicit, operatio differenda eſt, cum ſaepe motu linguae ſponte ſolvatur, & adulta quoque aetate melius & minore periculo diſcindi poſſit. Loquela tamen difficilis adultiorum non ſemper a neglecta frenuli ſolutione, in quam culpa ut plurimum coniici ſolet; ſed, vel a vitio ceterorum organorum, vel a perverſa conſuetudine oritur. In operatione ipſa infans ſitu horizontali ponatur, & a tergo conſiſtat chirurgus, vel etiam, quod melius eſt, ab anteriore parte. Claudantur nares infantis, ut linguam emittat, eaque elevetur & frenulum nimis longum reſecetur. Nonnulli linguam prehendunt manu ſiniſtra, intermedio linteolo, & operationem faciunt manu dextra (*a*); alii forcipe utuntur (*b*). Cum retracta & accreta lingua difficilius elevetur, inſtrumenta varia adhibuerunt (*c*). Tale valde

(*a*) HEISTERUS *chir.* T. XXI. fig. 1.
(*b*) Forcipem habet FABRIC. AB AQUAPENDENTE l. c.
(*c*) Furcula utitur MAURICEAU *Mal. des fem.* L. III. Ch. 30. p. 491. Vid. quoque HEISTERUM l. c. & Tab. I. lit. O. & P. it. PETIT *mém. de Paris* 1742. p. 347. edit. in 8. fig. 8.

compoſitum excogitavit PETITUS, quo venae maiores, ſub lingua excurrentes, quibus vulneratis haemorrhagia inſignis oritur, cuſtodiuntur, & ſcalpello, elatere inſtructo (*biſtouri à reſſort*) inciſio fit (*a*). At ipſe, incommodis uſum huius ſcalpelli comitantibus perſpectis, aliud, forficum fabrica (*b*) invenit, cui additum eſt ferramentum linguam attollens & vaſa defendens. PLATNERUS (*c*) item peculiare inſtrumentum, muniendis vaſis, in uſu forficum aptum, dedit; multi vero ad elevationem linguae vulgari illo ſpecillo ſulcato utuntur, cuius finis, qui manu tenetur, lamella plana cordata inſtruitur, in cuius inciſuram frenulum commode recipitur. Ipſam inciſionem recentiorum plerique forfice peragunt, & Cl. LEVRETUS eam commendat, quae laminis non adeo latis & apicibus obtuſis eſt (*d*). Cl. DELEVRYE autem primam inciſionem forfice perficit, locum vulneratum ſale fricat, & cetera digitis ſeparat (*e*). Quod HILDANUS (*f*)

(*a*) L. c. fig. 6. 7. PLATNER. fig. 15.
(*b*) Ibid. fig. 1-5.
(*c*) *Inſtit. chirurg.* fig. 14.
(*d*) *Journal de méd.* 1772. p. 238. ſeq. Delineata talis eſt in EIUSD. *Traité ſur les polypes* T. IV. fig. 6.
(*e*) *Traité des accouch.* pag. 391. it. *malad. des enfans* p. 171.
(*f*) *Cent.* III. Obſ. 25.

vult, ut variis locis frenulum incidatur, minus neceſſarium iudicamus, cum id, methodo ſuperius deſcripta diſciſſum, fere numquam iterum coaleſcat. In noſtra operatione nihil adeo timendum eſt, quam haemorrhagia, quae ſequitur, ſi inciſura nimis profunda fuerit; vel nonnumquam ſine ullo chirurgi vitio ex venis maioribus, per frenuli ſubſtantiam iuſto craſſiorem excurrentibus provenit (*a*). Haemorrhagia eo maiori cum periculo coniuncta eſt, quia motus linguae in tenellis infantibus cohiberi nequit, ita ut multi ea miſere pereant. Vix enim, ut alia praeteream, aliquot anni ſunt peracti, ex quo infans ſolutione frenuli a rudiore homine ex plebe facta, in qua & linguae ſubſtantia laeſa fuerat, mortem hic Lipſiae obiit. In adultis vero haemorrhagia minus timenda eſt, cum linguam non moveant, & ſanguis, detentis in ore ſtypticis levioribus, cohiberi poſſit. Haemorrhagiae vero ex nimis magna frenuli ſectione ortae PETITUS (*b*) apparatu ſingulari occurri ſperat. Furculam enim ex ramo ligni mollioris, in loco bifurcationis reſecto, conficit, cuius truncus quatuor, rami ſeu dentes octo lineas longi ſunt. Hanc linteo moliori invo-

(*a*) Talem SMELLIE vidit, quam tamen ſpiritu vini coercuit. *Obſ.* T. III. p. 467.
(*b*) In *Comment.* ſaepius cit.

lutam, ſub lingua applicat, ita ut manubrium ſive truncus maxillae inferiori innitatur, angulus, ex compoſitis ramis enatus, orificio venarum inſiſtat, illudque claudat. Rami ipſi utrinque ad latera linguae excurrentes eam in ſitu recto figunt, ne hinc illincque moveatur. Hac machina adhibita, PETITUS faſciae ex linteo tenui, longitudine ulnae, latitudine linearum octo vel decem, mediam partem ita linguae applicabat, ut labiorum utrumque angulum tangeret, deinde eam ſub maxillam deductam prope laryngem decuſſabat, & utrumque extremum occipiti affigebat. Huius inventi deſcriptionem adeo fuſam eam ob cauſſam tradidimus, quia maximae utilitatis, & ipſius agarici efficacia ſine faſcia nulla eſt. Aliud infantum vitium, quod ex frenuli nimis longa reſectione oritur, idem, quem ſaepius laudavimus, PETITUS primus obſervavit. Vidit nimirum infantes, linguam, a ſuis vinculis nimis ſolutam retrahere, & obſtructo larynge perire (*a*). Unicum hic auxilium in eo poſitum eſt, ut lingua immiſſo in os digito reducatur, quapropter nutrici Noſter commendat, ut, ſi infantem poppyzantem audiat, & reſpirationem eius impeditam

---

(*a*) L. c. p. 339. ſeq. Simile quid de ſervis Nigritis narratur, qui retracta lingua ſemetipſos enecare dicuntur. *Paragloſſe deglutitoria* SAUVAGESIO l. c. T. I. p. 150. vocatur.

ſentiat, idem faciat. Splenio quoque in os immiſſo linguam tunc depreſſit, illudque firmavit faſcia, quatuor capitibus inſtructa, quae lactationis tempore removebatur (*a*). Vulnus ipſum decocto hordei cum melle illiniatur, & ſaepius digito, melli immerſo, tangatur. Ita viginti quatuor horarum ſpatio cicatrix plerumque formatur.

Praeter naturale hoc frenum ſub lingua, morboſe nimis longum, ſaepius etiam frena lateralia, quae praeter naturam adſunt, linguae motum cohibent. Haec nonnumquam valde carnoſa deprehenduntur, & forfice quoque optime ita diſcinduntur, ut donec haemorrhagia ſedata fuerit, alterum non incidatur. Interdum lingua ſine cauſſa evidenti ad palatum quaſi adglutinatur, & ſuctionem impedit (*b*), quam ſpatula, ſive manubrio cochlearis deorſum premere ſufficit. Fauces clauſas membrana, quae plerumque continuatio palati mollis eſt, raro deprehendimus; commemoravit tamen eiuſmodi vitium STORCH (*c*). Lactationi & loquelae infeſtum tollitur in-

---

(*a*) Frenulum cauſticis deſtruunt nonnulli, at non ſine periculo. Affluxu enim ſalivae cauſticum ſolvitur & gravia ſymptomata producit. Vid. SMELLIE *Obſ.* T. III. pag. 468.

(*b*) LA PIE *mém. de l' acad. de chir.* Tom. III. p. 16. edit. in 4to T. VII. p. 25. edit. in 12mo.

(*c*) *Kinderkrankheiten* 1750. p. 158.

ciſione, qua facta, uvula duplex quaſi nonnumquam apparet. Sub lingua in adultis ſaepiſſime tumores elevari, quos *ranulas* dicunt, notiſſima res eſt. Interim pueri non ſolum ſed & infantes neonati hoc morbo afficiuntur, quem LEVRETUS a ſaliva in ductibus retenta deducit (*a*), & inter tumores cyſticos numerat. Idem & cum eo DELEVRYE (*b*) cauterio actuali exſtirpandos eſſe exiſtimant; quod nobis non ſatis tutum eſſe videtur. Si tumor ex abſceſſu ſit, is pure contracto, aperiatur; ſin vero ad cyſticos pertineat, deſtruatur poſt effluxum humoris cyſtis, ne tumor regeneretur (*c*).

§. IX.

Pectoris morbi.

Aliud morbi externi congeniti, qui rariſſime occurrit, exemplum GOHLIUS (*d*) commemo-

---

(*a*) *Accouch.* p. 259. conf. quoque *Journ. de méd.* l. c. p. 244.

(*b*) *Malad. des enf.* p. 173.

(*c*) Tumorem ſub lingua planum, linguae ipſius figuram referentem, preſſu manus ſub verſione in os immiſſae oriri vidit SMELLIE *Obſ.* T. III. p. 467. Illinito tamen decocto hordei cum melle ſenſim evanuit.

(*d*) *Act. med. Berol.* Dec. II. Vol. VI. pag. 70.

rat, qui *bronchocele* (ſeu potius *tracheocele*) *congenita* dicitur. Tumor erat permagnus, qui in puero neogenito ab aure & gena lateris dextri ad thoracis cum abdomine confinia propendebat. Eum cum arteria aſpera communicare, & ad rariorem bronchoceles ſpeciem, quae ab aere erumpente oritur, pertinere, ambitus eius in inſpiratione, & dum puer clamaret, auctus, in exſpiratione, & dum non clamaret, imminutus & conſidens, indicabat (*a*). Methodus, qua GOHLIUS in ſanando hoc vitio uſus eſt, non deſcribitur; arbitror tamen: in principio fomentationes ſpirituoſas & adſtringentes in ſimili caſu utiles fore, quibus laxitas partium, morboſum ſtatum, aeris ſcilicet iu glandulam quandam ingreſſum, augens, aboleri & ſtatus naturalis reſtitui poterit. Neque exitum morbi Noſter enarrat; ſuaſerim tamen, ſi tumor nimium increſcat, illum variis locis incidere, ut aer emittatur, & hiatus morboſus aſperae arteriae detegatur: cuius coalitus tunc fortaſſe obtineri poterit. Aliud exemplum bronchoceles congenitae, ſtrumis magis analogae, idem GOHLIUS l. c. habet; ex glandulis ſcilicet colli obſtructis & tumefactis ortae. Optimum eſſe videtur, ut ſimiles

(*a*) An hoc eſt *bronchocele ventoſa* SAUVAGES. *Noſ.* T. I. p. 158. ?

tumores ad adultiorem uſque aetatem gerantur; ubi vel reſolventia iis adhiberi, vel, ſi ea non ſufficiant, exſtirpatione tolli poterunt.

In thorace vix multa vitia congenita occurrunt (*a*), niſi quod fortaſſe coſtae aut ſterni pars inferior in verſione deprimi poſſit, aut a ſitu infantis in utero vel mala conformatione iam depreſſa ſit. Preſſio manuum, qua vitium hoc corrigere obſtetricantes mulieres tentant, & faſciae nimis arctae hic ſedulo evitentur: infans leviter involvatur, & naturae auxilio ſtatus iſte praeternaturalis relinquatur, quo ille interdum penitus reſtituitur. Nonnunquam tamen per totam vitam remanet, & difficultatem ſpirandi aliaque incommoda producit (*b*). Non poſſum, quin hic adfectionis morboſae, non quidem connatae, mox tamen poſt partum accedentis, mentionem faciam, qua nempe in corpore mammae tumor & ex eo ſaepius abſceſſus oritur. Mammas enim recens natorum utriuſque ſexus liquido ſeroſo repleri, quod preſſione ex papillis eliminetur, ex eoque liquores amnii originem nonnullos derivaſſe notum

(*a*) Singularem bronchocelen aut potius *pnevmonocelen* ad axillam poſitam, in quam aer, pulmonibus receptus regurgitabat, commemorat STORCH l. c. T. I. p. 44. Aeger vero adultus hydrope pectoris periit.

(*b*) SCHENK Obſ. L. II. p. 295.

eſt (*a*). Multi qui illud poſt partum exprimendum eſſe autumant, neglectam expreſſionem, ut cauſſam horum tumorum & abſceſſuum accuſant. Neque inficior, ſtagnante hoc ſero, corpus mammarum tumere, & accedente inflammatione, abſceſſum generari poſſe. At vereor, ne omnia haec incommoda ſaepius conſtrictioni faſciarum nimiae, vel ineptae & rudiori expreſſioni huius ſeri, adſcribenda ſint. Preſſio igitur mammarum tantum ſuſpenſa manu fiat, vel, quod melius eſt, plane omittatur, & ſerum ſtagnans potius ſuctione educatur; Corpus mammae ſplenio molli obtegatur; ubi vero in eo abſceſſus natus fuerit, cataplaſmatibus, epithematibus, vel emplaſtris emollientibus puris geneſis adiuvetur: illoque aperto, vulneris ſanatio ſolito more inſtituatur (*).

(*a*) *Comm. litt. Nor.* a. 1734. p. 122.

(*) Hunc utriuſque mammae infarctum, in proprio filiolo neonato, menſe Ianuarii 1768., obſervavi: cum enim coniugem matrem, tertia a partu die, quae vitae meae infeliciſſima fuit ceteraſque omnes mihi amaras nimis reddidit, ex dira uteri inflammatione perdidiſſem, amici uxor nobilis deſperanti mihi ſeſe obtulit, quae, licet propriam ipſa prolem lactaret, alteram adhuc mammam filio meo praebere promiſit, praebuitque, utrique proli aequaliter, donec lacte deſtitueretur, *germana* mulier! Octava fere a partu die tumuerunt parvuli mammae, caluerunt, ru-

§. X.

Umbilici morbi.

Ad abdomen iam progredimur, & eam primo contemplabimur partem, quae in fetu ma-

---

buerunt & liquidum ſuderunt ſero lactis ſimile, cum eiuſdem inquietudine. Alia non adhibita fuerunt, quam lene purgans ex ſyrupo cichorei cum rheo, ipſiſque tumefactis glandulis emplaſtrum ſaponaceum & emolliens ſuperadditum eſt. Suctionem ſeri ſtagnantis non permiſi, neque utilis videbatur, cum maiorem affluxum hic nutrire non contenderem. Omnia feliciter diſſipata ſunt, neque vidi in aliis, ulcera hic nata fuiſſe; quae, ſi naſcantur, rudiori mammulae tenerae tractationi, compreſſioni, emulſioni aut ſuctioni videntur eſſe adſcribenda. Suppuranti tumori, cataplaſma emolliens imponere docet in libro utiliſſimo cl. MELLINUS, & niſi ſponte rumpatur abſceſſus, ope lanceolae, ſub papilla, eundem aperiri iubet (*der Kinderarzt. p. 95.*). Raro ſectionem hic conſulerem; & certe locus, in quo fit, in *puellulis*, maioris adhuc momenti eſt, ne hoc, a natura, poſteritati diſtinatum organon, diſſectis tubulis lacteis ad papillam properantibus, fini ſuo reddatur ineptum. (*Fateor, hanc notulam in hiſce terris videri poſſe parum neceſſariam, cum, ſi ruſticam matrem excipiamus, alia vix ſit, quae non* unico organo *contenta eſſe poſſit & velit, quo futurum civem recipiat, receptum reddat, &, cum umbilico, omnem aliam corporis cum eo communionem reſcindi, ſolicita ſit.... Quanto vero in genus humanum damno, mammae ſic ſuo defraudentur officio, & in ſolum ſexus ornamentum, aut virorum* electriſationem (*verbo ſit venia*) *tumeant* ſphaerae *muliebres; alio loco ſat ſatis demonſtravi* (Mediciniſch Polizey II. Band.)

ximi momenti eſt; in neonato autem, qui vegetabilem vitam agere deſiit, animalem vero incepit, ſupervacanea, ab ipſa natura quaſi deiicitur & aboletur, funiculum nimirum umbilicalem. Separatur ille aliquot poſt partum diebus eo in loco, ubi cutis & epidermidis portio, annuli ſub forma, radicem eius inveſtit (*a*). Haec in neogenitis, qui vagitum nondum ediderunt, aliquot lineas ſupra funiculum adſcendit; ubi vero vagitum exercuerunt, ita retrahitur, ut vix ante abdomen emineat. Secedit ſemper funiculus ab abdomine uno eodemque in loco, ubicumque etiam ligatura inſtituta fuerit. Attamen mos eſt, longius eum ab abdomine ligare, eo conſilio, ut vinculo fortaſſe ſoluto altera ligatura propius ad radicem fieri poſſit. Sed neque adeo propinqua abdomini ea ſit, ut integumentorum proceſſus in ea comprehendatur, qui, ſi conſtringitur, facile gangraena corripi ſolet; neque exfoliata funiculi portio, aliquantulum abdomini adhaerens vi divellenda eſt: inde enim fere ſemper ulcus oritur, non raro tamen etiam haemorrhagia excitatur, quae neque compreſſione, quippe quae eo in loco fieri nequit, neque ſtypicis ſolitis, quae parum iuvant, ſedatur, ideoque crebrius

(*a*) HALLER *Elem. phyſiol.* Vol. VIII. p. 216.

lethalis exiſtit (*a*). In eo diſcrimine LEVRETUS (*b*) vulneri agarici fruſtulum emplaſtro glutinante affigit (*). Qui funiculo abrupto, integumenta in ligaturam recipiunt, ſemper gangraenam lethalem excitant (*c*). Cauterio haemorrhagiam ſiſtere, ut DELEVRYE (*d*) voluit, res incerta eſt, cum cicatrix facile decidat, & haemorrhagia plane non ſedanda oriatur. Cui igitur methodo agarici applicato praeferenda eſt; qua tamen facta, caute attendatur, ne infantes vagitus nimios edant, neque faſciis involvantur, quo eo attentius obſervari poſſint, nec preſſio iis dolorem excitet.

Si, quod interdum fieri ſolet, annulus ex integumentis & fibris tendineis factus, umbilici radicem & egreſſum vaſorum non inveſtit, ex vagitu infantis eventratio, aut, ſi funiculus ſeparatur, haemorrhagia oritur lethalis; cum omni compreſſione adhibita, ſanguis tamen ſub integumentis effun-

---

(*a*) Nonnunquam ſanguis guttatim tantum ex integumentis exſudat, quae haemorrhagia ſine periculo eſt. STORCH L. IV. p. 28.

(*b*) *L' art des acc.* p. 244.

(*) Neceſſaria eſt agarici per digitum adpreſſio, donec vaſa ſanguinem fundentia conſtringantur: tunc, ſplenio ſuperimpoſito, deligatio inſtituitur.

(*c*) LA MOTTE L. V. p. 941.

(*d*) *Traité des acc.* p. 393. *Malad. des enf.* p. 180.

effundatur. Sicut autem, ſeparatione funiculi nimis praecoci, ulcus generatur (*a*): ſic idem ſaepius ſordidum fit, & caro fungoſa propullulat, immo haud raro in gangraenam tranſit, nullo modo compeſcendam. Obſtetrices noſtrae huic ulceri pulverem florum roſarum, vel ſemen lycopodii. alii vero alumen pulveriſatum inſpergunt, quod adſtringendo cicatricem inducit. Si gangraena iam immineat, fomenta antiſeptica tententur, quae tamen raro proſunt, in ulcere vero non adeo gravi, aquae vulnerariae uſus & faſciarum, quae tamen non nimis arcta ſit, conſtrictio, rem peragit. Reliqua tempori relinquenda ſunt (*).

(*a*) Idem ex perverſa obſtetricum conſuetudine, umbilicum introrſum premendi, oritur. Vid. STORCH. L. IV. p. 30. qui etiam vidit ulcus internum hac preſſione productum. Sarcomphalum ex hac forte cauſſa ortum habet MAURICEAU Obſerv. 634. quem ligatura abſtulit.

(*) Potuiſſet hic venaeſectionis in neonatis ſubinde indicatae, denuo mentio fieri: dum ſcilicet quaſi ſuffocati naſcuntur & facie livida, tumente: ſub quibus ſymptomatis, mox a partu apoplectici moriuntur. Antequam igitur funiculi umbilicalis ligatura inſtituatur; in hoc caſu aliquot ſanguinis Cochlearia emittere docent obſtetricantes Medici, & hac methodo plures infantes vidi conſervatos. Dein non inanis eſt LEVRETI regula, funiculum umbilicalem, priuſquam ligetur, a foetus abdomine verſus placentam emulgendi: quamvis enim, cum hoc egregio Viro, nollem *Icterum*

§. XI.

Exomphali varii, tumor in regione hypogaſtrica.

Tumores umbilici, qui non ex ulcere ortum ducunt, communi nomine *exomphali* dicuntur. Ex quo intelligimus, varias eius inveniri ſpecies, cum *exomphalus* vel prolapſum inteſtinorum vel herniam indicet. Prolapſus inteſtinorum vel ita exiſtit, ut inteſtina, rupto peritonaeo nuda elabantur, vel ita, ut eo adhuc inveſtita ſiet; licet errorem non gravem committunt, qui hanc ſpeciem ad hernias referant. In hernia vero tantum umbilicus, integumentis adhuc veſtitus, tumet. Non adeo rarum eſt, inteſtina ex vitio congenito nuda prolabi, & ex annulo umbilicali propendere. Accuſantur in ea re fere ſemper iniuſte obſtetrices a matribus, ac ſi in partu exomphalo rudiore manuum applicatione occaſionem dediſſent. Sed MORGAGNIUS (*a*) idem vitium in fetu

---

neonatorum a ſanguine umbilicali ad hepar congrumato & ſtagnante frequenter derivare, ut qui potius a tenaci meconio inteſtina obducente & bilis in ea deſtillationem impediente, ortum ſumere conſuevit: non tamen negari poteſt, a neglecta illa, funiculum, ante deligationem, ſanguine evacuandi, cautione, plura ſubinde neonatorum mala poſſe derivari. Rem hanc, ſub finem ſequentis paragraphi paucis attingit quoque Auctor Diſſertationis noſtrae.

(*a*) *De ſed. & cauſſ.* Epiſt. XLVIII. art. 53.

abortivo, ovo illaeſo cum omnibus involucris nato, vidit, atque annuli umbilicalis coalitus cum inteſtinis prolapſis, qui plerumque in eiuſmodi fetubus adeſt, malum iam in utero ortum eſſe indicat: qualem infantem FRIEDIUS iunior (*a*) deſcripſit, in quo peritonaeum ſub integumentis inteſtinis accreſcens annulum formaverat. Saepius vero accidit, ut aliae quoque partes V. C. omentum, immo viſcera, ut hepar, ventriculus, lien cet. in hoc prolapſu una cum inteſtinis comprehendantur. Quamquam vero talis eventratio, ut vocant, plerumque congenita eſt, in quo caſu forte ab aquis abdomen fetus diſtendentibus & lineae albae rupturam efficientibus producitur; ea tamen non raro, aliquot dies poſt partum, ex funiculo ad abdomen abrupto (*b*) oritur, ſed ſemper prius tardiuſve mortem infert. Raro enim ultra viginti quatuor horas eiuſmodi infantes vivunt.

Alteram prolapſus ſpeciem fecimus eam, in qua peritonaei ſaccus, inteſtina inveſtiens, integumentis & muſculis abdominis ex quacumque cauſ-

---

(*a*) Diſſ. *de fetu inteſtinis plane nudis extra abdomen propendentibus*. Argentor. 1760. Conf. quoque Cl. GEHLERI diſſ. cit. p. 15. Allegat FRIEDIUS p. 7. plura eiuſmodi exempla: qualia multa quoque habet Ill. HALLERUS *opp. anat.* T. III. p. 8. ſeq. & *opuſc. pathol.* obſ. 35.
(*b*) Vid. §. praecedent.

ſa deficientibus, ſimul cum inteſtinis procidit, ita, ut motus periſtalticus inteſtinorum, peritonaei ſacco integro adhuc incluſorum, diſtincte conſpiciatur (*a*) MORGAGNIUS in tali ſacco hepar comprehendi vidit, quod duplex in hoc fetu erat, qui tumore gangraena correpto, die triceſimo quinto periit. Huc ſine dubio ea *hepatomphalocele congenita* pertinet, quae in diſſertatione Argentoratenſi (*b*) deſcripta legitur, in qua hepar, cum peritonaeo producto concretum, muſculi obliterati, & integumenta in annulum contracta apparebant, ex quo tumor ille lividus eminebat.

Tertium *exomphali* genus hernia umbilicalis, ſive *omphalocele* conſtituit, quae, ſi inteſtina contineat, *enterocele umbilicalis* ſeu *enteromphalus* appellatur, cuius exempla haud infrequentia ſunt (*c*). Herniae huius indolis vel connatae ſunt, vel poſt partum accidunt, & adſcititiae vocantur. Connatae rariores ſunt: adſcititiae ſaepius inveniuntur, & a vagitu nimio, & umbilici

---

(*a*) Vid. praeter auctores ſuperius citatos, FRIEDIUM l. c. p. 10. & MORGAGNI l. c. Epiſt. XLVIII. art. 54.

(*b*) BUCHHOLZ *de hepatomphalocele congenita*, Argentor. 1768.

(*c*) Vid. auct. ſup. cit. & HALLERI *Elem. phyſiol.* Tom. VIII. p. 216.

quodammodo eminentis compreſſione neglecta; vix autem ab imperitia obſtetricum, & intermiſſa funiculi deligatione, vel loco abſciſſionis, non ſatis ab abdomine remoto, derivandae ſunt (*a*). Funiculi enim ſeparatio, ut ſaepe monuimus, ſemper uno eodemque loco fit, & nigritarum exemplum, quos ex neglecta deligatione funiculi ſaepius herniis umbilicalibus laborare autumant, nihil probat: cum pauci tantum nigritarum huic vitio obnoxii ſint, illudque in iis a laboribus gravibus, quibus a primis pueritiae annis exercentur, oriatur (*b*). Cicatrix umbilici propria, plerumque in hernia umbilici magna ad dextrum latus poſita eſt, quod a vi venae umbilicalis & arteriae huius lateris, hanc cicatricem retrahentium, forte oritur. Nonnumquam hi tumores hepar (*c*), frequentius tamen omentum continent. Occurrunt etiam herniae umbilicales, quae peritonaeo non involvuntur (*d*), ſed ubi illud ruptum eſt, illaeſis integumentis. Hoc vero vitium a vi externa plerumque ortum, an unquam in infantibus con-

(*a*) Hunc vulgi errorem iam refellit PUZOS *traité des accouch.* p. 316.

(*b*) Vid. CAMPER *Verhand. van de Holl. Maatſchap.* Vol. VI. p. 363.

(*c*) *Hepatocole umbilicalis* SAUVAGES *Noſ.* T. I. p. 208.

(*d*) *Enterocele omphalorixis* ID. l. c. T. I. p. 200.

ſpiciatur, valde dubito. Cum aponeuroſis muſculorum, quae annulum umbilicalem format, ſatis valida ſit, ille ſaepe inteſtinis non cedit, ſed hernia ad latus eius poſita, ventralis potius quam umbilicalis dici meretur. Sunt, quae facilius reponi poſſint: ſunt aliae, quae diutius neglectae, incarceratae fiant, quod tamen in laxiori infantum corpore cataplaſmatibus emollientibus & clyſmatibus facile tollitur. Variis exomphali ſpecibus varias quoque medendi vias accommodandas eſſe, quiſque intelligit. In inteſtinorum nudorum prolapſu, fomenta ex lacte tepido, vel omenta animalium recens mactatorum proderunt; inteſtina autem caute reponenda & faſcia in ſitu ſervanda erunt (*a*); ut plurimum tamen eiuſmodi infantes intra breve tempus moriuntur. In prolapſu peritonaeo veſtito, repoſitio & lenis compreſſio, ut de hernia vera mox dicturi ſumus, inſtituatur (*b*), qua methodo ipſa hepatocele ſuperius commemorata intra menſis ſpatium valde imminuta

(*a*) TREWIUS ſuadet, inteſtina diſcindere, & finem ſuperiorem integumentis affigere, ut anus artificialis fiat. *Comm. litt.* 1735. p. 91. An hoc ſuccedat, dubium.

(*b*) Omnes, quos RUYSCHIUS vidit infantes hoc vitio affectos, perierunt; vid. EIUSD. *Obſ. anat. chir.* 71. p. 92. & hinc emplaſtro non adeo tenaci palliativam tantum curam inſtituere ſuadet.

eſt; infans tamen hic alio morbo obiit (*a*). Vera denique hernia umbilicalis in infantibus facillime curatur (*b*). Si connata fuerit, funiculus aliquot digitos a tumore ligandus: ne ligatura peritonaeum comprehendat; quod, ſi filo perſcinderetur, veram eventrationem effecturum eſſet: ſin vero eo integro inteſtina reponuntur faſciaque firmantur, ſponte intra abdomen retrahitur. Deinde, vel, ſi hernia adſcititia ſit, repoſitione ſecundum artis regulas facta, tumor lamella plumbea, ſive dimidio globulo cereo nucis moſchatae magnitudinis, vel ſpleniis gradatim ut aiunt (*graduées*) applicatis, coerceatur, quae LEVRETUS (*c*) ſic ponit, ut latiſſimum infimum ſit, metuens, ne ea inverſo ordine adhibita cunei in modum hiatum annuli, quem comprimere debent, magis dilatent. Spleniis applicatis, faſciae inducendae, non tamen arctius conſtringendae ſunt; ne preſſione infans laedatur. Curam radicalem, repoſitis inteſtinis & integumentis acubus tranſiectis atque ligatura facta commendat PAULUS

(*a*) BUCHHOLZ l. c.

(*b*) Triſtia exempla ubi per chirurgi errorem eiuſmodi herniae inciſae fuerunt, habet PAREUS L. XXIII. cap. *66*. Conf. MAURICEAU T. I. p. 497.

(*c*) *Traité des accouchemens* p. 246.

AEGINETA (*a*), atque exemplum hac ratione factae curationis MURALTO (*b*) habet, in quo poſt octo dies cutis iam decidit. Hoc vero non in tenerioribus infantibus factum eſſe videtur, & faſcia bene applicata idem praeſtabit. Infelicius TREWIUS (*c*) talem tumorem, cuius indolem non noverat, ligatura abſcidit, ubi infans, ut facile colligi poteſt, obiit. Nonnumquam *exomphalus aqueus* ſ. *hydromphalus*, vix tamen aliter, quam praeſente omphalocele inteſtinali & aſcitide, oritur. Mollis & pellucidus eſt, fluctuatio in eo percipitur, & reponi non poteſt. Si aſcites curatur, quod in infantibus raro ſuccedit, ſponte quoque evaneſcit. Aſcites igitur internis remediis, vel, ſi fieri aliter nequit, paracenteſi tollatur, quae tamen in infantibus tenerioribus vix unquam locum habebit.

Nec alienum fore puto, alius hic morbi meminiſſe, qui aliquot poſt partum dies pueros infeſtat, cuius mentio apud nullum, quod ego ſciam, ſcriptorem occurrit. Ii enim nonnumquam tertio quartove poſt partum die inquieti fiunt: febreque agitantur: ſimul vero tumor durior ab

(*a*) L. VI. c. 51.
(*b*) *M. N. C.* Dec. II. ann. 3. p. 264. Confer. quoque SAVIARD Obſ. 9. & SHARP. *Enquiry* p. 52.
(*c*) L. c.

oſſe pubis ad umbilicum uſque percipitur, qui, ſi tangitur, infantes maximo dolore afficit, & non adeo profunde ſub cute haeret. Plerique hoc malo affecti perierunt; ſed, cum medicis, ex quorum obſervatione hoc teneo, nondum contingerit, ſectione facta, mali naturam detegere, plura & certiora hac de re exponere nequeo. Ad tumores interim inflammatorios pertinet, & in muſculis abdominalibus, ac peritonaeo reſidere videtur. Durities, quae ſaepius in longitudinem protracta, funiculorum forma ſentitur, inflammationem fortaſſe, ex obſtructis arteriis umbilicalibus oriundam, prodit: qua in re culpam in neglectam expreſſionem ſanguinis in ligatura funiculi coniicerem, qui non raro perverſe verſus abdomen reprimitur (*a*). Eos, qui hoc morbo affecti non perierunt, clyſmata, fomenta ex emollientibus, & emplaſtra ſimilia per noctem applicata, ſervarunt.

§. XII.

Herniae inguinales & ſcrotales congenitae.

Vitiis funiculi paullo rariores ſunt herniae *inguinales & ſcrotales*, quae vel ſtatim a nativitate adſunt, vel brevi poſt partum accedunt. In iis plerumque inteſtini tenuis pars exit, ſique

(*a*) Vid. §. 1. not. *b*.

in tenerrima hac aetate non ſanantur, per totam vitam remanent. Ab aliis praecipue diſtinguuntur ex eo, quod partes, in iis contentae, ſi herniae curatio ſcalpello fiat, non peculiari ſacco a teſte ſeparatae, ſed teſtis ipſius in contactu reperiantur (*a*). Veram tunc rupturam peritonaei adeſſe,

---

(*a*) Hernia congenita tali olim laboravit ill. ZIMMERMANN, qui, operatione Berolini praeterito anno feliciter inſtituta, integerrime convaluit. Vid. Cel. MEKEL *de morbo hernioſo congenito ſingulari & complicato, feliciter curato*, Berol. 1772. 8.

(*) Non ita pridem in Noſocomio *Ticinenſi* herniae congenitae lethalis exemplum occurrit, quod attigiſſe iuvabit. Vir ruſticus, a iuventute teſticulum ſiniſtrum tumidum fuiſſe credens, dum cum muliere concuberet, hunc ſubito ſenſit poſt coitum dolere. Tumor in hac parte ſcroti augebatur & longe diverſus erat ab aliis hernioſis tumoribus: pyriformem enim magiſque teretem figuram habebat, tumore aequaliter ad annulum abdominalem adſcendente, gradatim, ſed abſque omni inaequalitate decreſcente. Sic ſexta ſaltem die, qua ad Noſocomium venit, habebat. Aderat vomitus, alvi obſtructio, ventris tenſio moderata, ſingultus: ut magis ex hiſce ſymptomatis, quam ex tumore, qui inflati potius teſticuli formam referebat, ad herniae praeſentiam potuerit, concludi. Operationem ſuſcepit dexterrimus Chirurgiae Profeſſor & Collega noſter, Ill. SCARPA; ſed artem omnem malum longe ſuperavit: Ileum enim inteſtinum teſticulo ipſi firmiter adcretum, in gangraenam & ſphacelum iam abiverat, atque largo foramine

olim credebatur (*a*), indeque nomen germanicum *ein Bruch* ortum fuit. Cum vero hiſtoria herniarum congenitarum, de quibus hic ſermo eſt, a recentioribus praecipue exornata, nondum in chirurgorum pleriſque ſcriptis ſatis explicata ſit, eam hic paullo fuſius exponere operae pretium eſſe iudicavimus.

In embryone maſculo teſtes nondum in ſcroto continentur, ſed in abdomine latent, ac, peritonaeo ut reliqua viſcera obvoluti, muſculo pſoas incumbunt. Ab his ad infima ſcroti canalis cylindricus pergit, confectus ex tela celluloſa, a ſcroti celluloſitate orta, quae vero ſtructura a reliqua differt, in quo canali nonnulli fibras muſculoſas ſe detexiſſe gloriantur. Appellatur ille ab HUNTERO *retinaculum teſtis*, qui ab eo teſtis deſcenſum adiuvari atque dirigi credit. Tempore enim partus appropinquante teſtis verſus inferiora per annulum abdominalem movetur, ut plerumque in recens natorum inguine, rarius iam in ſcroto percipiatur. Deſcenſum hunc, ſi aqua in cavo abdominis ſtagnat, paullo citius fieri ſolet, motui diaphragmatis HALLERUS (*b*) tribuit.

perforatum erat, caeterum vero eiuſdem inteſtini tractum ingens inflammatio tenuit, ex qua aegrotus ſequenti mox die exſpiravit.

(*a*) SHARP *Enquiry* p. 39.

(*b*) *Opſc. anat.* in loco paullo infra citando.

Cum vero in fetu in utero haerente, motus huius muſculi nullus ſit, malim eum a retractione retinaculi derivare: ſive illa a fibris muſcularibus eius, ut vult HUNTERUS, ſive a nexu retinaculi cum celluloſo contextu ſcroti, quod ultimis graviditatis menſibus ulterius evolvitur, pendeat. Teſtis autem deſcendens peritonaeum, quo obvolvitur, ſecum ducit, ita, ut illud appendicem cylindricum formet, inferius teſte clauſum, verſus abdominis cavum vero apertum, qui ideo canalem, ex abdomine ad ſcrotum efficit, in quem ſtilus, qui lineae craſſitiem habet, commode ingreditur. Canalis hic non multo poſt nativitatem clauditur, & cum funiculo vaſorum ſpermaticorum coaleſcens, tunicam vaginalem format. Incipit haec concretio ſuperius ad annulum muſculorum abdominalium, ubi valvula quaſi, ſive plica ſemilunaris aperturae eius praefixa eſt (*a*): inferius autem eo in loco, ubi teſtis epididymidi inſiſtit, non coaleſcit, ut teſtis libere quaſi in eo fluctuet. Saepius etiam in adultis totus canalis flatu facile diſtenditur, ut ipſe in utroque latere vidi in homine, qui ſuſpendio vitam finierat. Hinc mirum eſt, diſſectores non prius veram originem & naturam tunicae vagi-

---

(*a*) MEKEL l. c. p. 39.

nalis, detexiſſe, cum vero in deſcenſu teſtis, vel mox poſt eum via ex abdomine ad ſcrotum pateat, inteſtina cum omento haud raro deorſum feruntur, & herniam congenitam efficiunt; quod etiam ſaepius occurreret, niſi per ſitum inteſtinorum in fetu, quae in regione umbilicali magis ponuntur, & meſenterio admodum brevi alligantur, huic malo quodammodo cautum eſſet. Si aqua in abdomine ſtagnat, haec quoque in ſcrotum defluens *hydrocelem veram congenitam* generat, quae tum evaneſcit, cum infantes tergo incumbunt; aqua per quam deſcendit viam regrediente. Haec ſine dubio eſt *pnevmatocele* veterum, ſeu idem vitium, quod vulgo *einen Windbruch* appellant. Canali aperto remanente, ſi hernia quoque nulla adſit, teſticulus tamen e ſcroto in abdomen iterum adſcendere poteſt: unde exempla teſtium retractorum orta ſunt. In puellis ſimilis, ſed minus adhuc deſcriptus, proceſſus peritonaei ligamentum uteri rotundum ad inguina comitatur, qui ubi ad annulum abdominalem concreſcit, interius patet, poſt nativitatem vero clauditur ac foveam format, quam NUCKIUS (*a*) *diverticulum* dixit. Hic canalis aeque ac in pueris *herniis inguinalibus* generandis occa-

---

(*a*) *Apenograph.* p. 134.

ſionem praebet, cum in puellis quoque vagina celluloſa annulo abdominali ſubiecta ſit: ex quo fit, ut in puellis recens natis herniae inguinales, in adultis autem feminis crurales frequentiores ſint, quicquid etiam monet LEVRETUS (*a*). Attamen nullum exemplum eiuſmodi herniae in puella neogenita reperi, ſed poſt partum tantum accedunt. Hydroceles ſpeciem in hoc proceſſu, ſi non ubique cum funiculo ligamenti rotundi concreſcat, etiam in feminis oriri poſſe, ſuſpicionem mihi praebet obſervatio nuper in theatro anatomico Lipſienſi facta, qua cyſtis lympha pellucida repleta, in vetula mox infra annulum abdominalem reperta eſt (*b*). Quod medendi metho-

---

(*a*) *Accouch.* p. 248.

(*b*) Canalem ſuperius deſcriptum in maribus iam GALENUS *Admin. anat.* L. VI. c. 13. & poſt eum, etſi obſcurius, in feminis NUCKIUS l. c. habet. Ex viro BIDLOO delineavit T. XXII. f. 3. 4. & animalibus, canibus inprimis, alii multi. Situm teſtis in abdomine primus Ill. HALLERUS exacte deſcripſit, quem nec herniarum congenitarum origo latuit; vid. *Comm. litt.* 1735. p. 105. a. 1737. p. 3. & progr. *de herniis congenitis* a. 1749. quod *opuſc. pathol.* inſertum eſt. Obſervationibus HALLERI curioſiſſimis permotus, accuratiſſimam deſcriptionem canalis & ceterarum partium, quae huc pertinent, publici iuris fecit Cel. Londinenſium medicus HUNTERUS. Vide EIUSD. *medical commentaries* Lond. 1762. 4to. quam diſſertationem Cl. ARNAUD

dum in herniis congenitis attinet, nonnulli nihil plane agunt, ſed exſpectant, donec ad adultiorem aetatem infantes pervenerint, ubi bracherium adhibent, cuius applicatio in tenerrimis & recens natis, tam ob celere partium incrementum, quam immunditiem, multis incommodis ſtipata eſt. At cum ex neglecto hoc vitio plurimae affectiones moleſtae oriri poſſint, & curatio eo facilior

---

Volumini primo commentariorum, qui Londini 1768. 4to. ſub titulo *Memoires de chirurgie* prodierunt, inſeruit. Legi etiam deſcriptio meretur, a Cel. CAMPER data in *Verhandel.* cet. T. VI. p. 235. & T. VII. p. 58. Recentiſſimorum optimae ſunt in Cel. LOBSTEINII diſſ. *de hernia congenita, in qua inteſtinum in contactu teſtis eſt*: Argent. 1771. & apud Cel. MEKEL in Tr. ſupra citato. Eodem fere quo HUNTERUS ſuas obſervationes amicis communicabat tempore, de hac hernia congenita libellum quoque edidit Cl. POTTIUS: *an Account of a particular Kind of rupture frequéntly attendant upon new-born Children* etc. Lond. 1757. quare inter eum & HUNTERUM de inventionis gloria lis orta eſt. Iure tamen ea HUNTERO tribuitur, licet POTTIUS practicis obſervationibus ulterius hanc rem illuſtraverit.

(*) Completiſſimum Tractatum anno 1779. *de teſticulorum ex abdomine in ſcrotum deſcenſu, ad illuſtrandam in Chirurgia de herniis congenitis utriuſque ſexus doctrinam*, edidit Illuſt. WRISBERGIUS, Collega quondam meus in *Goettingenſi* Academia amiciſſimus, Vir ad ampliandam Anatomen natus & cui tot iam in hac parte debentes, maiora adhuc debebimus.

ſit, quo citius ſuſcipiatur, faſciam mox applicare non dubitaverim: idque eo magis, cum viderim, infantes hernia laborantes debiles & minus bene nutritos ea curata, egregium cepiſſe incrementum. Imponantur autem ſplenia gradatim poſita, modo a LEVRETO §. 11. in umbilicali hernia commendato; deinde faſcia, *ſpica* dicta, inducatur, quae vero crebrius propter inevitabilem immunditiem, mutanda eſt, inteſtinis manu interea leviter repreſſis. Uſum, qui ex accurata herniarum harum congenitarum notione in curationem, quae in adultis fit, redundat, praeterimus, & lectorem ad diſſertationem Cel. LOBSTEINII laudatam, amandamus.

§. XIII.

Morbi ſcroti, urethrae, penis.

Ex iis, quae in paragrapho praecedente diximus, deſcenſum teſtis ex abdomine ſatis patere arbitror. Cum vero ille in recens natis nonnunquam vel in abdomine, vel in annulo abdominali adhuc haereat (*a*), preſſio eius ibidem haerentis omni modo evitanda eſt. Infanti enim, ſi v. c. faſciae nimis conſtringantur, dolorem ingentem

(*a*) Hoc vitium ſeu loci aberrationem SAUVAGES & alii *parorchidium* appellant *Noſ.* T. I. p. 222.

gentem & inflammationem, interdum quoque *ſar-coccelen*, hac ratione induci poſſe, plures obſervationes probant. Si itaque tumor in recens nati inguine percipiatur, ſemper inquiratur, utrum teſtis iam deſcenderit, an in abdomine adhuc haereat, & magna cautio adhibenda eſt, ne tumor ex teſte in progreſſu ſuo retardato ortus, vel cum hernia, vel cum alio tumore inflammatorio, ad ſuppurationem ducendo, confundatur. Si teſtis in annulo abdominali haeſerit, LEVRETUS (*a*) ſuadet, ut digito extrahatur, vel potius deorſum prematur, infante ſimul excitato, ut vagitum edat, quo, niſu facto, teſtis delabatur. Vix tamen eam methodum ob periculum ex dolore & tumoris augmento in aegrum redundans, ſed potius fomenta & emplaſtra emollientia (*b*) adhiberem, quo annulo relaxato, teſtis ſenſim in ductum deſcendat. Genitalia in genere in partu, agripparum in primis, & ſi natibus praeviis fetus prodeat, nimis comprimi, & ab imperitis obſtetricibus male affici poſſunt, ut

(*a*) *L' art des acc.* p. 247. Idem vult, ut, ſi duo teſticuli iam in ſcroto inveniantur, inquiratur, an tertius forſitan in annulo haereat. Sed cum triorchides veri, ſi unquam extant, rariſſimi certe ſint, hanc cautionem vix adeo neceſſariam eſſe iudico.

(*b*) LOBSTEIN. l. c. p. 20.

tumores duriores inde oriantur, qui haud raro in ſuppurationem tranſeunt. Hoc in malo diſcutientia ex vino, quae & in tumoribus duris teſticuli proſunt, & epithemata ſicca ex floribus chamomillae, meliloti & pauxillo camphorae adhibeas. *Hydrocele* puerorum recens natorum duplex deprehenditur. Altera *ſpuria* eſt, in qua omnis ſcroti tela celluloſa aqua repleta tumet, quod vitium, vel, ut vulgo fit, maius minuſve mox in partu adeſt (*a*), vel poſt partum ſenſim generatur, cuius cauſſam in lymphae regreſſu nimio vagitu impedito nonnulli ponunt, ita, ut PUZOS (*b*) hanc hydrocelen, mutata nutrice, abiiſſe aſſerat. Altera ſeu *vera* ab aqua in canali peritonaei, ſuperius deſcripto, collecta oritur. In prima ſpecie, quae ſaepe ſponte aetatis progreſſu diſſipatur (*), fomentationes ex adſtringentibus cum vino coctis, vel decocta ex herbis amaricantibus, vel fomenta ex aqua calcis & ſpiritus

(*a*) Frequenter pueris ſine ullo inſequente damno ſcrotum ſtatim a nativitate tumet, & gentem novi, in qua omnes filii recens nati ſcrota inſigniter tumentia oſtenderunt; qui tamen tumor ſenſim rurſus evanuit, nullis remediis adhibitis.

(*b*) L. c. p. 317.

(*) Dum *Caligis* induere nates incipiunt, diſſipari vidi: ut probabile ſit, ex refrigerio ſcroti, hos tumores aquoſos apud pueros oriri frequentius. Fomentatio *ſicca* cum linteis fumo aromatico imbutis commodius adhibetur, & ſaepe ſufficit,

vini partibus aequalibus iuvant. In ſecunda ſpecie hydroceles iuvat interdum infantem tergo imponere, dum nempe canalis peritonaei nondum coaluerit: fit enim ex eo, ut aqua, in hoc canali ſtagnans, in abdomen regrediatur, ubi facilius reſorbetur. Quae quidem curatio quamvis momentanea tantum ſit; attamen ea plenaria adiuvatur, ſi compreſſio & adſtringentia interea adhibeantur. *Pnevmatocelen* ſic dictam cum hac hydrocele eandem eſſe, iam (p. 42.) docuimus: idemque ex methodo, qua ea, ad teſtimonium plurium auctorum, curata eſt, colligi poterit; id enim ab omnibus iam commendato infantis ſitu, & epithematibus diſcutientibus & adſtringentibus praeſtitum fuit. Sin autem neglecta curatione hydrocele vera in inferiore parte canalis remanſerit, ubi infantes paullo adoleverint, punctione aqua emittenda & deinde roborantibus externis utendum eſt; vel ſi tumor redeat, parietes ſacci huius praeternaturalis ad ſuppurationem inciſione vel cauſticis redigantur, & ſic coalitus laminarum vaginalis tunicae adiuvetur, ne aqua iterum extra vaſa effundi poſſit. Penis in pueris recens natis pluribus modis male affectus invenitur. Primo quidem praeputium nimis longe ſupra glandem protractum, ſive cum ea penitus concretum eſſe poteſt. Infantes, quibus prius accidit, urinam difficilius mittunt, eiuſque glandem inter &

praeputium remanens portio calculoſis concretionibus occaſionem nonnunquam praebet. Quod ſi acciderit, circumciſio tentanda (*a*), vel ſi nihil eiuſmodi obſervatur, ad adultiorem aetatem differenda eſt (*b*). Si vero concretione praeputii, orificium penitus obturatur, inciſione via aperiatur. Deinde recens nati non raro praeputium glandemque inſigniter tumentem habent, ut vitium, quod bulla cryſtallina dicitur, exiſtat. Haec phimoſis ſpecies vel oedema eſt, ex partium compreſſione aut nonnunquam ex anaſarca univerſali natum, vel oritur, ſi materia ſebacea, ex glandulis ad radicem glandis excreta, nimis coacervata inter praeputium & glandem haeret. Hae, cauſſa ſua tantum diverſae, ſpecies facile diſtinguuntur: ab oedemate enim orta a radice penis, ex ſebo nata ab apice eius incipit (*c*); illa epithematibus ſiccis diſcutientibus, interne dato purgante leniore, & oxymelle ſquillitico cedit, ac curatione morbi, ex quo provenit, facta, penitus tollitur; haec vero curatur, ſi materia ſebacea accumulata ſpecillo removetur, quod & nutrices praeſtant, dum penem ſugendo

---

(*a*) Conf. SCHENK. Obſ. p. 525.
(*b*) DIONIS *Cours de chirurg.* ex edit. Cl. LA FAYE Tom. I. p. 265.
(*c*) LEVRET *l' art des acc.* p. 249. DELEVRYE *malad. des enf.* p. 186.

ſebaceam materiam extrahunt. Retentionem urinae ex his malis ſaepe generari diximus; quae multo adhuc periculoſior eſt, ſi ex obſtructione urethrae oritur. Sicut enim, ſi orificium eius muco, ut nonnunquam fit, obſtruitur, ſpecillo immiſſo & obſtaculo remoto, urina ſtatim ſequitur: ſic alii dantur caſus, ubi auxilium magis arduum eſt. Accidit enim, ut urethra in recens natis vel in anteriori, vel in magna parte canalis ita coalita ſit *(a)*, ut niſi celerrime opitulari ſtudeat chirurgus, miſer infans neceſſario moriatur. Nonnunquam tamen natura aliam qua urinam eliminet viam per urachum, in umbilico pervium eligit *(b)*, quales infantes, ea per totam vitam aperta, adoleviſſe, exempla varia probant. Si orificium urethrae exiguum quidem, ſed tamen apertum eſt, illud turunda ex ſambuci medulla vel ſpongia, aut, quod melius eſt, cereolis (*bougies*) tenuioribus immiſſis ſenſim dilatetur; alii tamen vel in hoc caſu ſcalpello tenui orificium utrinque dilatant (*c*). Si tenui tantum membrana anterius clauditur, fiat inciſio, & apertura turunda e filo molliori oleo madida &

(*a*) HALLER *Opuſc. anat.* T. III. p. 35.
(*b*) Exempla urachi pervii vide apud HALLERUM *Elem. Phyſ.* T. VIII. p. 313.
(*c*) DIONIS l. c. p. 269.

ſilo affixa, vel cereolo aperta ſervetur (*a*). Perforationi aptiſſimam iudicat acum, operationi cataractae accommodatam HEISTERUS (*b*), ſive etiam ſcalpellum; in denſiore vero membrana acum triquetram (*trois-quarts*) adhibet. Si glans anterius perforata non eſt, interdum foramen in glande, vel ad radicem frenuli, quin etiam nonnunquam paullo poſterius verſus perinaeum in conſpectum venit, per quod urina effluit. Suadent nonnulli (*c*) praeternaturale hoc foramen relinquere, cum hoc malo affectos vel proli gignendae aptos eſſe affirment (*d*). In contrariam tamen ſententiam plerique abeunt, &, cum ſingularis naturae aberratio ſit, omnino mereri videtur, ut eo vitio corrigendo operam dent chirurgi. Poſſet certe per hiatum praeternaturalem ſpecillum immitti, atque verſus anteriora dirigi, quo ſuper illud inciſio in eo loco, ubi in ſtatu naturali apertura eſſe ſolet, inſtituatur, vel ſi urethrae pars in glande nulla ſit, acu triquetra im-

(*a*) Cannulam nonnulli immittunt, quae tamen, ut & turundae ipſae, vix neceſſaria eſt, cum urina effluens iam viam liberam ſervet, & ipſae turundae, cum penis breviſſimus ſit, non bene applicari poſſint.

(*b*) *Chirurg.* T. II. p. 818.

(*c*) PAULI in *annot.* ad HOORNII *microtechn.* pag. 460.

(*d*) HEISTER l. c. it. CAMPER *Verhandel.* cet. T. VI. p. 369.

miſſa novus canalis formetur. Hic turundarum, ſive, ut DIONIS vult, cannulae ope apertus ſervetur, quae tantam longitudinem habeat, ut praeternaturale foramen tranſeat. MERCURIALIS (*a*) glandem ferro rotundo & ignito crudeli conſilio perforat, quo haemorrhagia cohibeatur & callus novi canalis durior fiat, quam methodum nemo noſtris temporibus adhibebit. Canali novo facto foramen connatum, quod natura quaſi oberrans reliquerat, arte ſanandum eſt. Hoc nonnulli cauſticis praeſtare tentant, quibus calloſos eius margines deſtruunt (*b*), ſcarificatione tamen illos vulnerant Cll. DIONIS & HEISTERUS l. c., quae methodus magis mihi arridet, cum cauſticorum uſus graviſſimam ſaepius inflammationem inducat. Nonnulli ſutura cruentata hos margines coniungunt; quod vero, cum ſutura ſicca ſufficiat, minus neceſſarium videtur. Veteres in hoc morbo glandem amputandam eſſe putarunt (*c*):

(*a*) *De morb. puer.* L. I. cap. 9.
(*b*) BARTENSTEIN *de morbis infantum recens nator.* Argent. 1701. pag. 11.
(*c*) PAUL. AEGINETA L. VI. cap. 54. *Reſupinato homine glans ſiniſtrae manus digitis prehendenda vehementerque attrahenda eſt, tum ſcalpelli acie iuxta coronam ſeu circulum amputanda, neque id obliqua ſectione, ſed concava ac rotunda, ut in medio quaedam glandi ſimilis eminentia relinquatur.*

alii totam glandem inciſione findebant, quo urina & ſemen anterius efflueret; utrumque tamen reiiciendum eſſe puto.

Quibus urethra, plane nullo hiatu praedita eſt, iis ut monuimus, mors certa imminet, ſi urachus non pervius ſit, aut urethra in inteſtinum rectum pateat. Nonnunquam hoc in caſu urina ibi, ubi eam ſaepius per foramen praeternaturale exire diximus, accumulata, tumorem in pene efficit, qui, cum dubium auxilium melius, quam nullum ſit, perforetur; ut licet praeternaturale foramen remaneat, tamen vita infantis conſervetur. HEISTERUS de punctione veſicae in perinaeo cogitat; fatetur tamen, ſe illam nunquam in hoc caſu inſtituiſſe, nec exemplum novi, id ab alio chirurgo unquam factum fuiſſe.

§. XIV.

Atretae. Anus clauſus.

Genitalia puellarum neogenitarum non minus, quam puerorum morboſe afficiuntur. In iis enim non raro labia pudendi, & vagina inflammata & exulcerata occurrunt. Si hoc a contuſione vel laeſione harum partium pendeat, fomentis ut plurimum curatio intra breve tempus abſolvitur. Quodſi vero nulla talis cauſſa prae-

ceſſerit, diſquirendum eſt, num fortaſſe exulceratio haec effectus acrimoniae muci illius ſit, quo in naturali ſtatu partes hae & viae urinae lubricantur: quo in caſu frequens lotio cum aqua tepida, & uſus leniorum exſiccantium egregie proſunt. Si vero ulcera haec in puellis, aut ſimilia fere genitalium vitia in pueris a ſiphylitica labe haereditaria, vel a nutrice communicata oriantur, mercurialia interne caute ſecundum artis regulas tentanda ſunt. Diffitendum tamen non eſt, plurimos eiuſmodi infantes miſere perire. Uti tandem urethra in pueris vario modo concreſcit: ita genitalium quoque coalitus in puellis obſervatur, quales vulgo *atretae* dicuntur. Variae vero huius vitii ſpecies variique gradus obſervantur. Sic enim primo nonnunquam tota genitalium apertura ita concreſcit, ut urina nulla poſſit effluere, & ſulcus tantum adſit, qui veſtigia rimae pudendorum naturalis oſtendit. Hoc in caſu inciſio, ad ductum huius rimae facta, ſtatum praeternaturalem plerumque tollit. Hanc operationem melius aliquot dies demum poſt partum fieri nonnulli exiſtimant, opinantes, urinam interius occluſam, partes diſcindendas diſtendendo, viam ſcalpello clarius monſtrare; attamen, ne infantem ſine auxilio relinquentes, ſymptomatibus gravioribus occaſionem praebeamus, leviſſima, &, ſi cautione neceſſaria peragatur, tutiſſima haec operatio non

differenda eſt (*a*). Paullo aliter res ſe habet, ſi quidem orificium urethrae adeſt, ſed non ita magnum, ut urina omnis evacuari poſſit: ex quo fit, ut illa, poſt membranam occludentem collecta, excoriationes foedas efficiat, atque adeo nonnunquam inteſtinum rectum arrodat (*b*). Itaque nec in eo caſu operatio haec differatur, ſed quam celerrime, ſimulac eius vitii praeſentia cognoſcitur, inſtituatur. Ingeratur ſpecillum ſulcatum in orificium relictum & verſus ſuperiora & inferiora ſuper illud ſcalpello membrana incidatur, ita tamen, ut veſicae & inteſtino recto parcas, quorum vulnera periculoſa eſſe nemo non cognoſcit. Tertia ſpecies coalitus eſt, ſi vagina quidem ſolo hymene clauditur, urethra autem membrana praeternaturali denſa penitus obturatur. Facile agnoſcitur hoc vitium, ſi, aperta licet vagina, urina tamen non profluat, & ſpecillo tenuiſſimo immiſſo nulla urinae via detegi poſſit. Haec membrana acu triquetra tenuiſſima ſine incommodis perforatur. HEISTERUS (*c*) monet. CABROLIUM (*d*) eiuſmodi atretam, quae ad vigeſimum

---

(*a*) DIONIS *Operat. de chirurg.* cura cl. LA FAYE Tom. I. p. 272. qui in ea ſcalpello vel acu triquetra utitur.

(*b*) *Miſcell. N. C.* Dec. I. ann. 3. Obſerv. 124.

(*c*) *Chirurg.* T. II. p. 954.

(*d*) *Obſerv. anat.* XX.

uſque annum urinam per urachum emiſerat, membrana, urethram claudente, diſciſſa, ea ratione curaſſe, ut proceſſum criſtae ſeu roſtri galli Indici ſimilem, qui longitudine quatuor digitorum ex umbilico prominebat, ligatura & uſtione auferret, atque intra duodecim dies cicatricem induceret. Si urethra patet, hymenis autem rima penitus clauſa deprehenditur, operationem ad tempus catameniorum differre tutius eſt, ne vicinae partes, quod in tenerrima aetate facile accidere poteſt, laedantur. Imminentibus autem catameniis ſymptomata conſueta ex eorum retentione, & tumor mollis ex ſanguine, ſub hymene clauſo ſtagnante ortus, naturam huius vitii indicant: cuius curationem, inciſione vel longitudinali vel cruciata inſtituendam: omnes fere libri chirurgici abunde docent, pluraque felicium curationum exempla enarrant. Porro hymen perforatus quidem, ſed adeo craſſus eſſe poteſt, ut vel ſemine ad uterum in coitu non perveniente, ille non foecundus ſit; vel ſi foecundatio, hymene illaeſo, bene ſucceſſerit (*a*), partus tamen abſolvi non poſſit. Si in coniugio ex hoc vitio impedimentum naſcitur, inciſione longitudi-

---

(*a*) Conf. Cel. BOEHMERI progr. *de naturalibus feminarum clauſis*. Viteb. 1768. p. 6.

nali, vel cruciata tollendum eſt (*a*); ſi vero in partu demum ea requiritur, eo modo inſtituatur, quem artis obſtetriciae compendia praecipiunt (*b*). Duplicis hymenis quoque extant hiſtoriae, quorum alter inferius, alter paullo ſuperius adfuit. Eius vaginae & genitalium coalitus, qui haud raro poſt partum laborioſum accedit, ſi parietes ſcilicet vaginae, ex quacumque cauſſa in partu vulnerati & exulcerati, inter ſe coaleſcant, curatio huc non pertinet. Periculoſiſſimum tandem, nec ullo modo ſanabile vitium eſt, ſi puellae recens natae vagina vel penitus concreta praeditae ſunt, vel ea plane deſtituuntur; quo in caſu, operatione facta, non ſanguis prodit, ſed mors ſubſequitur (*c*). Monſtroſas fabricas v. c. vaginas in inteſtinum rectum, vel in praeternaturali abdominis loco apertas, quia omnem curationem chirurgicam reſpuunt, omittimus.

Ut genitalia & urinae viae, ita anus quo-

(*a*) CELSUS L. VIII. p. 29. Conf. DIONIS l. c. & HEISTER Tom. II. pag. 953. ſeq. HILDANUS Cent. III. Obſ. 61. inciſionem ſupra ſpecillum ſulcatum inſtituit.

(*b*) Conf. quoque WEISII diſſ. *hiſtoria partus impediti, ex membrana tendinoſa, os uteri internum arctante*. Altd 1761. RUYSCH *Obſerv. anat. Cent.* Obſ. 22. BOEHMER l. c. p. 8. ſequ.

(*c*) Conf. Ill. DE HAEN *Rat. med.* Tom. VI. pag. 53. ſequ.

que in recens natis obturatur, vel eius orificium plane deficit, quo facto periculoſiora ſymptomata ex meconio intra inteſtinorum canalem retento oriuntur Abdomen enim intumeſcit, moleſte tenditur, tormina acuta & vomitus, inflammatio, febris, &, niſi opem ferre ſtudeamus, intra ſeptem plerumque dies mors accedit (*a*). Haec alvi obturatio, ſicut urinae effluxus impeditus & genitalia clauſa, ſpecie variat. Prima earum eſt, ſi inteſtinum contractum faeces non bene, nec, niſi guttatim quaſi expreſſas, tranſmittit. In tali caſu ROONHUYSEN (*b*) tumorem ad anum, ſine dubio ex compreſſione oriundum, vidit, qui plenariam infanti obſtructionem induceret. Proderit forſitan hic, clyſmata emollientia copioſa applicare, &, ſuſpenſa tamen manu, cereolum in inteſtinum rectum immittere, cautione omni habita, ne, ſi infans ſe moveat, noxa eidem inferatur. Qui in ſimili caſu inteſtinum contractum ſectione ampliare ſuaſerat SCULTETUS (*c*), dilatationem hanc quoque ſine ſcalpello, penicillis, ex rad. gentianae ingeſtis, bene praeſtitit. Sed ROONHUYSEN l. c. inciſio-

(*a*) Hic morbus eſt *ileus imperforatorum* SAUVAGES *Noſ.* T. II. p. 349. Conf. HEISTER *Chir.* T. II. p. 1040.

(*b*) *App. obſerv.* P. II. Obſ. 1.

(*c*) *Armament.* Obſ. 71.

nem ani phlebotomo inſtituens, eam utrinque forfice dilatavit & vulnus inflictum bene ſanavit (*a*): quae tamen diſciſſio inteſtini recti calloſi ſumme periculoſa eſſe videtur, quapropter turundarum & cereolorum uſum commendare malim. Innotuerunt mihi quoque exempla, ubi id vitium, quod adeo magnum erat, ut clyſmatis applicationem non admitteret, aut clyſma iniectum, inteſtino ſuperius contracto, iterum efflueret, ſponte temporis ſucceſſu diſparuit.

Magis arduum eſt, ſi ipſum inteſtinum rectum penitus clauſum appareat, quod vario rurſus modo fieri poteſt. Si enim membrana tenui in fine ſuo clauditur (*b*), inciſione aperiendum eſt, quam longitudinalem alii, alii cruciatam faciunt. Optime LEVRETUS ſectionem circularem (*c*) ſuadet, cum labia diſſecta ſemper ſuppuratione ſequente perdantur & hoc orificium hac ratione ſtatim naturalem figuram acquirat. Nonnulli poſt inciſionem, immiſſo in inteſtinum rectum digito diſquirunt, an via aperta ſit; cum vero hoc infanti in tantis viarum anguſtiis maximos dolores excitet, convenientius eſſe arbitror

---

(*a*) Cf. HEISTER Tom. II. p. 1043.
(*b*) Digito pertundit AETIUS Lib. VI. cap. 81.
(*c*) *L' art des acc.* p. 235. Delineavit quoque iſtam operationem SCULTETUS *Armament.* tab. XLI. fig. 6. edit. Ulm. 1655.

cereolo vel ſpecillo uti. Optimum ſignum profluxus meconii dat, qui ſi non recte ſuccedat, iniecto clyſmate emolliente adiuvandus eſt. Ceterum meconio penitus egreſſo, turunda applicanda, & poſt ſingulas deiectiones alvinas renovanda eſt. Fiſtulam plumbeam, unguento exſiccante illinitam, ſupervacaneo, ut puto, ſtudio ingeſſit HILDANUS (*a*): excrementa enim non bene per cannulam egrediuntur & ſanatio vulneris a natura ſponte praeſtatur. Splenium loco accommodatum, & faſcia, quae a littera T nomen habet, eius deligationi optime inſerviunt. Interdum membrana inteſtinum obturans, altius in canali inteſtini poſita eſt: quo in caſu diſciſſio difficilius & periculoſius ſcalpello, melius & tutius acu triquetra, vel pharyngotomo perficitur. Attendat tamen chirurgus, ne parietes inteſtini, vel partes quaſcumque vicinas in ſecando laedat. Clauditur etiam inteſtini apertura cute craſſiore, cui fortaſſe aliqua celluloſa tela ſubiacet, ita, ut nullum plane ani veſtigium intuenti appareat. Cum obturatio haec ex membrana craſſiori, quam in praecedentibus fiat, locus incidendus difficilius detegitur. Attamen cum ex tumore livido & fluctuatione pulpoſa molliuſcula, digiti compreſſioni cedente, eo vero retracto rurſus re-

(*a*) Cent. I. Obſ. 73.

deunte, non ita dubie agnoſcimus. Locus igitur, in quo aditum inteſtini patefaciendum eſſe ſigna tradita oſtendunt, modo, ſuperius indicato, incidendus eſt. Mos fuit olim obſtetricibus Patavinis (*a*) ſola acu anum, praeter naturam coalitum, perforare, & foramen illud turundis ex radice gentianae confectis ampliare: quae certe ſenſim facta dilatatio optato effectui tunc reſpondere videtur, ſi denſiora integumenta & tella celluloſa anum claudant. Si eadem denſa membrana non ad hoſtium ani, ſed paullo ſuperius in ipſo canali haereat, loco ſcalpelli melius acu triquetra, vel quod longe praeſtantius eſt, pharyngotomo, utendum eſt, ut in priore ſpecie indigitavimus, omni cura habita, ne inteſtini tunicae laedantur. Gravitas vitii huius inſigniter augetur, ſi inteſtinum rectum non, conſueto more, in perinaeo ante os coccygis, ſed in quocunque alio loco aperitur. Extant huius aberrationis copioſiſſima exempla, ubi illud in penem & umbilicum (*b*), in veſicam (*c*) aut in vaginam (*d*) patuit. Si veſicae aut peni inſertum eſt,

(*a*) SCULTET. Obſ. 77.
(*b*) HALLER. *Opuſc.* T. III. p. 25. SCHENK. Obſ. Lib. IV. p. 527.
(*c*) HILDAN. *Cent.* I. Obſ. 75.
(*d*) MAURICEAU P. I. L. III. c. 29. STORCH *Kinderkrankheiten* T. I. p. 179. SCHENK. l. c. Lib. III. p. 392.

eſt, mors neceſſario ſequitur (*a*), cum faeces hac via non eliminari queant & gangraena oriatur: ſi in vaginam aperitur, eiuſmodi miſerae de vita ſua quidem non adeo periclitantur, interim per totam vitam hoc vitio affectae manent, cum nullum auxilium ſuperſit, quo medela iis adferri poſſit. Interdum inteſtinum rectum ad os ſacrum in ſacculum coecum deſinit & nodo quaſi clauditur, ex quo ad hoſtium ani canalis obliteratus, funiculum referens, deſcendit. Diſtinguitur hoc vitium a praecedenti ex eo, quod in illo faeces, alieno loco prodeuntes, orificii ani praeternaturalis locum indicant, quod hic plane deeſt. Si vero chirurgus, loci aberrationis neſcius, hoc in caſu operatione demum peracta cognoſceret, inteſtinum in veſicam v. c. deſinere; id tamen ei vitio haud verti poterit, cum infantem ſine operatione mortem obiturum fuiſſe certum ſit. Inteſtinum, ut volunt nonnulli, plane defuiſſe, rariſſimum eſſe puto, cum vix non ſemper aliqua eius pars, funem referens, coeca ſuperſit, ibi etiam, ubi illud ſuperius in nodum quaſi coalitum deprehenditur. Cum hoc quoque in caſu periculum in mora ſit, inciſione

---

(*a*) Undecimo die accidit in Obſervatione, quam SCHENKIUS l. c. habet.

via patefacienda eſt, cuius locum veſtigium ani obſcurum, indicat; ſin vero illud deficiat omni cura locus operationi commodus determinandus eſt. Hic vero tenendum eſt, in neogenitis infantibus ani orificium non eo in loco, quo in adultioribus eſſe ſolet, pone os coccygis poſitum eſſe, vel ſaltem aliter plane collocatum videri (*a*). In tenellis enim magna oſſis coccygis pars cartilaginea tantum, & a partibus mollibus tactu vix diſtinguenda eſt. Hinc fieri non poteſt, quin ani veſtigium longius a duriori oſſe abeſſe deprehendatur, quam in ſtatu naturali ſolet. Quo autem operatio bene ſuccedat, omnino attendendum eſt, ut inciſione externa facta, inteſtini finis altius haerens accurate eo in loco pertundatur, ubi in ſanis ſphincter adeſt. Nequaquam autem in latere inteſtini fiat inciſio, quod facile accidit, quia illud per meconium diſtentum turget. Eo enim minus iuſto in loco perforato, eliminandum meconium non omne effluit, nec omnia ſymptomata, ut deberent, remittunt; ſi vero inciſio externa, finem coeci inteſtini non tangit, ſed a latere altius producitur, nonnunquam inteſtinum, a meconio diſtentum, in vulnus deſcendit, & prolapſus ſeu herniae ſpeciem efficit,

(*a*) PETIT *mém. de l' acad. de chir.* Tom. II. edit. in 12mo. p. 243.

qua a chirurgo aperta, mors ſecuta eſt (a). Bene vero ſuccedit operatio, ſi exacte in inferiore parte inteſtinum aperitur (quod meconium profluens indicat), idque vel in eo caſu, ubi inteſtini ſatis magna portio deficere videtur. Sic, omiſſis aliis multis exemplis, quae paſſim occurrunt, unum tantum adducam, quod ante aliquot annos hic Lipſiae obvenit, ubi cl. HEBENSTREIT Chirurgus in infante, cui inteſtinum rectum variorum pollicum longitudine inferius deficiebat, operationem adeo feliciter peregit, ut, vulnere ſanato, ſperari potuiſſet infanti nullas moleſtias ſuperfore, niſi ille paullo poſt alio morbo periiſſet. Non alienum autem eſſe iudico, ſi, inciſione externa facta, non ſtatim meconium profluat, nec inteſtinum detegatur, ab eo loco, ubi inciſio externa inſtituta fuerit, paullo retrorſum inciſionibns parvulis verſus os ſacrum pergere, ut lateribus inteſtini parcatur: quae cum verſus os ſacrum minus diſtendi poſſint, verſus anteriora magis feruntur: quo facto nodus, ubi ſphincter formari debuerat, quantum fieri poterit, in medio ſuo pertundendus eſt. Qui digito in vulnus immiſſo ſitum inteſtini diſquirere velint, maximam ea in re cautionem adhibeant, ne par-

(a) PETIT l. c. p. 240. Obſ. II.

tes vicinas laedant; magis vero ii, qui digito inteſtinum pertundunt, reprehendendi ſunt, cum infantes, quibus opem ferre ſtudent, in maximum vitae periculum coniiciant. Facile enim perſpicitur, vincula celluloſa, quibus inteſtinum ad os ſacrum vel veſicam revincitur, eiuſmodi rudiore diſquiſitione dilacerari, ac ipſum canalem graviter vulnerari poſſe; nec exempla deſunt, quibus ea comprobantur. Acum triquetram (*trois-quarts*) huic rei accommodatam deſcripſit PETITUS (*a*), qua longius diſtans inteſtinum commode pertunditur; quae ſolito craſſior & ſic formata eſt, ut acu poſt punctionem remota, canalis in quo acus latet, in ſulcum ei inciſum, ſcalpellum recipere poſſit, quo inciſio utrinque ampliatur. Nec tamen adeo tuta eſt haec methodus, quin plures infantes, in quibus ea fuit adhibita, perierint. Inanis timor eſt eorum, qui, poſt hanc operationem incontinentiam faecum alvinarum ex eo metuunt, quod nullus ani ſphincter adeſt: inferiores enim fibrae circulares inteſtini recti, facta operatione, ſphincterem ani internum formant, externus vero ab integumentis quodammodo reſtituitur. Recte igitur LEVRETUS (*b*) notat, ex iis infantibus, in quibus operatio ani clauſi bene ſucceſſerat,

(*a*) L. c. p. 247.
(*b*) *L' art des accouch.* p. 235.

nullum incontinentia faecum affectum fuiſſe. In iis tandem miſellis, in quibus nullum plane orificium ani adeſt, neque operatio inſtituitur, natura miro auxilio obitum nonnunquam per aliquod ſaltem tempus avertit, dum faeces vomitu excreverint. Eiuſmodi infans per ſex menſes vivus ſervatus eſt: alii ad adultam aetatem pervenerunt (*a*).

Aliud, non minus lethale, nec infrequens vitium, cuius exempla aliquoties in hac urbe occurrerunt, hic commemorandum eſſe eo magis iudicamus, cum mentionem eius apud auctores perpaucos tantum iniectam eſſe videamus. Eſt hoc vitium *volvulus infantum connatus*, quo inteſtinum rectum non longe a fine ſuo obturatur, & quod in puella ſemeſtri b. LUDWIGIUS cum Cl. GEHLERO obſervavit. In ea ab initio vitae alvus bene reſpondebat; in eius depoſitione tamen, ut & aliis temporibus per intervalla, cre-

(*a*) Conf. SCHENCK Obſ. pag. 391. ex PANAROLO.. LAMURE in *Journ. de médécine* 1770. pag. 510. & BAUX ibid. Tom. VIII. p. 60. qui narrat hiſtoriam puellae viginti annorum, quae vagina, urethra & ano deſtituta, urinam per mammas, faeces per os edidit. Idem fortaſſe caſus commemoratur a Cl. SAUVAGES *Noſol.* T. I. p. 349. quae aegra omni biduo, vel triduo faeces vomitu eliminavit.

brior & profundior inſpiratio deprehendebatur. Senſim tamen inducta eſt alvi obſtructio, quae deinde pertinacior facta nullis remediis ceſſit, ut puella ſeptimo tandem aetatis menſe obiret, poſtquam paullo ante mortem ſanguinem multum, ſincerum, muco remixtum excreverat. Clyſmata non rite canalem inteſtinorum intrabant, ſed mox rurſus effluebant, & cereolo, quo diſquiſitio a Cl. HEBENSTREITIO inſtituebatur, reſiſtentia quaedam, paullo altius in inteſtino poſita, percipiebatur. Sectione facta, inteſtinum craſſum totum in latere ſiniſtro inferiore ſex circiter pollicum longitudine in ſe contractum inveniebatur; eo vero evoluto, ſecantes totum colon in ſe per plicas rediiſſe perſpiciebant, ipſo etiam coeco non relicto, ita, ut colon nunc evolutum longitudine ſua ulnam & aliquot pollices ſuperaret (*a*). Invaginationem hanc, quae anguſtiam & plenariam fere emphraxin canalis induxerat, congenitam & ſucceſſu temporis demum auctam fuiſſe, ſumma, & per tendinea quaſi filamenta facta ſiharum partium concretio clare demonſtrabat. Similem fere caſum idem Cl. HEBENSTREIT in alio infante obſervavit.

(*a*) Vid. b. LUDWIGII diſſ. *de cauſſis obſtruct. alvin.* Lipſiae 1770. p. 32.

§. XV.

Extremitatum & integumentorum adfectiones.

Omni fere corpore infantili perluſtrato, iam ad ea vitia progredimur, quibus extremitates in neogenitis morboſe afficiuntur. Extremitatum morbos, ad tria fere momenta reducimus, numeri ſcilicet aberrationem, ſitum vel nexum mutatum & unitatis ſolutionem. Quae enim in fetubus difficili partu editis brachii pedumve contuſiones & a ſtagnante ſanguine orti tumores obſervantur, ea omnia facile fomentis adhibitis iterum diſſipantur. Pertinet huc inprimis tumor brachii quod primum ex utero prodit, ſi verſio non ſtatim inſtituatur cet. Numero abundaſſe partes infantum, digitos nominatim manuum pedumque copioſa exempla extant. Nati enim ſunt infantes, in quibus digitorum numerus ad ſex, immo ſeptem & octo auctus fuit (*a*). Horum vero digitorum ſuperfluorum alii perfecti ſunt & ex vero oſſe, muſculis & integumentis conflati deprehenduntur, ita, ut nonnunquam ſex quoque oſſa metatarſi adſint; alii vero imperfecti, informes,

---

(*a*) Exempla vid. apud HALLERUM *opp. anat. min.* T. III. p. 27.

& ita formati ſunt, ut vel pollex, ſive alius quiſque digitus diviſus aut ſemiduplex ſit, vel e bene formato digito alius minor imperfectus, ceu ſpina aut ramus progrediatur (*a*). Eodem modo, ut digitos, naſum quoque & auriculam abundaſſe, HALLERUS l. c. commemorat: & naſus quidem ita duplex conſpiciebatur, ut pone naturalem alter exoſſis poſitus eſſet. Talia ubi occurrunt, omnino primum diſquirendum eſt, an partes haec ſuperfluae infantis ſanitatem vel actiones neceſſarias laedant, aut deformitatem inſignem inducant; deinde, an ſine periculo vel graviore noxa tolli queant. His momentis rite perpenſis operatio vel inſtitui vel omitti debet. Si conveniens ea iudicatur, praeſtat illam quam primum fieri poterit perficere, cum, quo diutius differatur (*b*), eo magis ardua ſit, vulnera inflicta faciliori negotio in infantibus ſanentur, neque ipſi dolore adeo excrucientur, cum ſibi fortaſſe minus conſcii ſint. Partes ſuperfluae, quae oſſibus carent & excreſcentiis magis, quam organicis partibus adnumerandae ſunt, ligatura commode tolluntur. Oſſicula, quae e latere verorum digitorum prodeunt, forcipe ſeparari iubet

(*a*) *Digiti imperfecti qui ab internodio exoriuntur motu prorſus carent.* P. AEGINETA L. VI. c. 43.

(*b*) LEVRET *l' art des accouchemens* p. 239.

HEISTERUS (*a*); cui ſcalpellum praeferrem. Partium praeter naturam in neonatis coalitarum in digitis praecipue manuum pedumve frequentia ſunt exempla (*b*). Haec coalitio fit vel ita, ut muſculos, quin etiam oſſa ipſa comprehendat, vel ita, ut membrana intermedia digiti aut in omni ſua longitudine, aut ex parte tantum iuncti inveniantur. Non in priore, ſed in hoc tantum caſu operationi locus relinquitur, qua digiti, membrana ſcalpello diſciſſa ſeparantur, & per ſanationis tempus ſeparati ſervantur, ne iterum concreſcant. Quod ut fiat, HEISTERUS (*c*) eos faſcia, digitum tranſverſum lata, aqua calcis & ſpiritu vini madefacta involvit.

Situs & unitas partium in extremitatibus luxatione in primis & fractura morboſe adficitur. Obſtetricantibus enim peritiſſimis quoque & exercitatiſſimis accidere poteſt, ut in partu difficili, & verſione, omni quoque cura adhibita, infantis extremitas luxetur, vel frangatur (*d*). Neque huic rei ineſt aliquod periculum, quod obſtetricantem vel parentes anxios reddere debeat, &, niſi crudeliſſima manu rudis chirurgus fracturam

(*a*) L. c. Tom. I. p. 466.
(*b*) HALLER l. c. p. 37.
(*c*) L. c. p. 465.
(*d*) Ex tenuitate oſſis hoc ſibi accidiſſe SMELLIE *Caſ.* T. III. p. 455. fatetur.

complicatam induxerit, auxilio celeri damnum facile reparatur. Luxatio, ut de ea primo dicamus, quam celerrime fieri poterit, reponenda eſt, quo facto faſcia, quam chirurgia praeſcribit, inducitur. In humero tantum requiritur attentio, ut bene monet LEVRETUS (*a*), ne ligamenti capſularis portio ab oſſe repoſito comprimatur, quod ea ſymptomata produceret, quae laeſioni & compreſſioni partium tendinearum ſuperveniunt. Fit autem facile, quia cavitas glenoidea humeri parva, caput vero huius oſſis magnum, & ligamentum laxum ſatis eſt. Aliud vitium in plantis pedum neogenitorum conſpicuum eſt, quo illae ſaepe vel ex ſolo infantis in utero ſitu, aut mala conformatione, vel a perverſa faſciarum applicatione (*b*), introrſum converſae ſunt (*c*). Impedit auctum hoc malum, quo minus infantes adultiores facti recte incedere poſſint, cum in ingreſſu ſemper malleolis externis innitantur. Faſciae & machinae omnes hic commendatae parum auxilii adferunt (*). Optimum eſt, faſciis mollibus

---

(*a*) *L' art des acc.* p. 322.

(*b*) ID. l. c. p. 231.

(*c*) Anglis *club-foot* dicitur, vid. CHESELD. in append. ad Anglicam verſionem operationum Cl. LE DRAN Tab. VIII.

(*) Reſtitui tamen puerum hoc pedis introrſum converſi vitio natum, eo quod *ſoleam ex lamina fer-*

plantam pedum utramque, cum SMELLIE (*a*), ita alligare, fruſtolo ex corio inflexo, applicatis inter malleolos ſpleniis, ut unus ſpes alteri pro fulcro ſit. Praeferenda eſt haec methodus Cheſeldenianae (*b*), qua linteola mixtura ex albumine ovorum & farina imbuta pedi applicantur, iſque in recto ſitu tenetur, donec illa ſiccata, & indurata eum bene contineant. Unitatem extremitatum in neogenitis per fracturas, in partu, praecipue autem in verſione, laedi poſſe monuimus, de quo, ut de praecedenti vitio, non ſemper obſtetricantes accuſandi ſunt. Cum tamen infortunium hoc ſaepe clare ſtudeant, metuentes, ne fama eorum laedatur, frequentius infantibus noxa illata fuit, ita, ut exempla extent, miſeros hos, vel membri uſu per omnem vitam caruiſſe, vel, inflammatione fracturae accedente, mortem obiiſſe (*c*). Auxilium, quod ſemper in promtu eſt,

---

rea confectam, plantae ſubpoſuerim, dorſumque pedis aliâ, calcei ſuperioris in modum convexâ, bracteâ, ad medium illius inclinatâ & dein ope faſciolarum, ex adverſo ſoleae latere per propria foraminula ſuſceptarum depreſſâ, firmaverim; ipſi vero pedi rectam utplurimum poſitionem conciliaverim: quo factum eſt, ut ſub finem ſecundi iam anni puer hic, plantae pedis ſat firmiter inſiſteret, & ſine claudicatione potuerit incedere.

(*a*) L. c. p. 454.

(*b*) CHESELD. l. c.

(*c*) SMELLIE l. c. p. 456.

praebent chartae luſoriae ad longitudinem in duas partes reſectae, quae ſuperius & inferius aliquantum exſciſſae ſunt. Has aqua vel vino tepido madefactas, oſſi, in ſtatum naturalem lege artis reducto, iuſte imponas, & faſciam firmiter quidem, non nimis arcte tamen ſuperinduas, quo induratae coalitum oſſis, in iuſto ſitu firmati, iuvare poſſint, qui plerumque quindecim vel viginti dierum ſpatio contingit. Simplicem hunc apparatum, LEVRETUS (*a*), & poſt eum plurimi recentiorum commendarunt. Alii tamen ut SMELLIE (*b*) ſplenia tantum & faſcias applicant (*c*).

Ex integumentorum tandem vitiis ea tantum hic contemplanda eſſe arbitror, in quibus curandis chirurgica ars aliquid efficere valet; caetera vero praeteream. Naevorum primo maxima in recens natis eſt frequentia; de quorum geneſi hic diſputare locum non eſſe credo. Praeter illam vero ſpeciem, quae non multum ſupra cutem elevata & maxime vulgaris eſt, alia minus ſolem-

---

(*a*) L. c. p. 232.
(*b*) L. c. p. 435.
(*c*) Oſſa brachii a partu mollia, ut lori inſtar in omnes plagas flecti poſſent habet FORESTUS L. XVII. Obſ. 15. Hoc vero vitium rariſſimum erat & ſponte intra tres ſeptimanas ſanabatur. Emplaſtrum enim quo uſus eſt, certe nil praeſtitit.

nis oritur, ſi gelatinoſus humor, in ſpongioſo fetus copore abundans, in celluloſae aliqua telae parte ita colligitur, ut tumor exiſtat, cui ſancta anicularum ſimplicitas nomina rerum dat, quarum ſimilitudinem prae ſe ferre putat. Sic infantes natos referunt, qui carunculam, velum, vittam, roſtrum, proboſcidem, crucem, farcimen, murem & neſcio, quid ſecum attulerint. Si tales excreſcentiae deformitatem inducunt, cogitandum eſt, an ligatura vel ſcalpello extirpari poſſint; ſi vero radices altius egerint: & ſine inſigni perditione ſubſtantiae cutaneae vel carnis aboleri haud poſſint, eas intactas relinquere praeſtat. Idem valet, ubi vaſa in vicinia tumentia tumorem carcinomaticae indolis prodere videntur (*a*). Cauſtica, quorum uſus hic ſemper ſuſpectus eſſe videtur, ubi tumor carcinomatis naturam habet, plane evitanda ſunt.

Altera naevorum ſpecies, qui plani in cute apparent, difficilius, quam elevata illa tubercula aboletur; attamen remedium, tollendis iis aptum, praeſcripſit Cl. VOGELIUS Chirurgus Lubecenſis (*b*), quod ex ſapone Veneto & calce viva in paſtam converſis componitur. Quo ſi uti ve-

(*a*) HEISTER l. c. T. I. p. 457.
(*b*) *Merkwürdige Krankengeſchichte*. Roſtock 1756. 8. Obſ. 15.

limus, vicinae partes linteo, in quo foramen ad naevi magnitudinem exſciſſum eſt, cui emplaſtrum glutinans illinitur, defendantur, naevo autem ipſi unguentum illud applicetur: quo facto poſt duodecim horas ille in eſcharam tranſit, quae, ſuccedente ſuppuratione, tandem ſecedit. Hoc unguentum omnibus aliis praefert Cl. VOGEL, vetatque emplaſtra diſcutientia & epithemata cum vino tepido adhibere; his enim tumor naevis inducitur, & alia incommoda inferuntur, neque poſtea exſtirpatio tam facile ſuccedit. Iuvabit demum duorum morborum cutaneorum inieciſſe mentionem, qui mixtionem quidem humorum, ut cauſſam, agnoſcere videntur, de quibus tamen ſaepius Chirurgi conſuluntur. Alter eorum eſt *intertrigo* (*das Wundwerden*) (*a*), quod vitium in infantibus iunioribus variis corporis locis, in primis ſub brachiis, in inguinibus, nonnunquam poſt auriculas oriri ſolet. Licet vero illud ſaturninis facillime tolli poſſet; ſunt tamen multi, qui haec reformidant, neque ea tenerrimo infantum corpori applicant. His fomenta ex aqua vulneraria ſufficiant: quibus applicatis, locum ſauciatum ſemine lycopodii inſpergi curent, vel remedio ex zinco utantur. LEVRETUS (*b*) pulverem ſubti-

(*a*) *Erythema intertrigo* SAUVAGES l. c. T. I. p. 139.
(*b*) L. c. p. 251.

liorem ex ligno (*a*) & amylum laudat, ſed poſt inſpertionem locum hunc lacte nutricis lavari iubet. Summa praeterea tunicarum & faſciarum mundities requiritur, ac cura habeatur, ne lixivium acre iis adhuc inhaereat. Alia tandem morborum cutaneorum infantibus ſolemnium ſpecies eſt exanthema illud, quod Germanis *Schälblaſen* dicitur, & creberrime in neonatis apparet. Conſtat id ex veſiculis maioribus, quae lividam aquam continent, & marginem inflammatum oſtendunt. Apparent primo ad inguina, inde ad umbilici viciniam, axillas & digitos deferuntur, & poſt tres quatuorve dies exſiccatae decidunt (*b*). Notatu digniſſimum eſt, haec exanthemata morbi quaſi epidemici typum nonnunquam ſervare, & uno anno frequentius & copioſius occurrant, quam altero. Periculo fere carent, niſi maximus eorum adſit numerus; cum tamen acrimoniam humorum evolutam indicent, conſilii eſt, lenioribus laxantibus eidem obviam ire. Neque incongruum erit, veſiculas diſſecare, ut aqua ſordida effluat;

(*a*) Salicis carioſae teredinem inprimis commendat SAUVAGES l. c.

(*b*) An hic morbus eſt ea varietas *variolarum volaticarum*, cuius SAUVAGES mentionem iniicit, & quae Occitanis *Burgueirole* dicitur. *Noſol.* T. I. pag. 423.

vulnus autem relictum aqua vulneraria, aqua ſimplici diluta eluere; & deinde ſemine lycopodii conſpergere, quo illud depuretur & ſanatio melius ſuccedat.

LUDO-

LUDOVICI SCHOELER GEDANENSIS

DISSERTATIO

SISTENS OBSERVATIONES SUPER MORBOS *SURINAMENSIUM*

Goettingae 1781.

PROOEMIUM.

Surinamenſes terras navi praepoſitus Chirurgus tribus vicibus adii, ibique in his itineribus per aliquot annos commoratus ſum. Mearum tunc erat partium ſaluti nautarum, militumque, & qui caeteroquin curae meae commiſſi erant, invigilare, ideoque etiam endemios epidemicoſque regionis eius morbos, quantum in me erat, partim ab iis avertere, partim natos tollere. Sollicite igitur cum in has terras perveniſſem, amicitiam contrahens cum Medicis ibi experientiſſimis, prae-

ſertim cum STVVESANDTIO Viro Cl. *in hos morbos eorumque indolem inquiſivi, methodumque qua profligarentur, ſcrutatus ſum. Hoc in curandis, qui mihi ſe offerebant, aegrotis non parum utilitatis attulit & ſcribendae huic diſſertationi praebuit argumentum. Quae vero obſervationes, etiamſi parum novi fortaſſis contineant, atque exſpectationi doctorum non prorſus faciant ſatis, declarabunt tamen, me de munere olim meo rite fungendo ſollicitum fuiſſe.*

ENdemios, epidemicoſque regionis cuiuſdam morbos enarranti, convenit prius de ſitu eius regionis, aëre, victu incolarum & quae ſunt reliqua, quae lucem illis afferre poſſunt, diſſerere. Pauca igitur, quae huc ſpectant, eo conſilio praemittam, ne in morborum enarratione, ea ſaepius repetendo, nauſeam Lectoribus moveam. Provinciae *Surinamenſis* in *Guiana* Americae auſtralis & quidem ſub gradu ſexto latitudinis borealis ſitae, ſeptentrionem verſus mari Atlantico terminatae, ſolum planum atque depreſſum eſt. In remotis vero provinciae finibus verſus meridiem, ſeries montium praecelſorum collocata eſt, propius tamen, viginti circiter milliaria a *Paramaribo* conſpicitur unicus mons, qui coeruleus (*de blaauwe Berg*) dicitur. Denſae ubique ſylvae, prata gramine fibroſo & arundine foecunda, cingentes, quarum non paucae ad plantationes conſtituendas igne deletae ſunt, ibi reperiuntur. Flumen quoddam inſigne, cui provinciae nomen inditum, primum in duo maiora flumina, deinde

in plurimos abiens fluvios, acceſſu & receſſu maris mox increſcens mox decreſcens, per totam fertur regionem; minime vero quo propius cum mari connectitur, aquas ad bibendum idoneas ſuppeditat; nam limoſum ibi paludoſumque eſt. Nullibi fontes puteique in provincia inveniuntur, ſed quae bibuntur aquae, ſive ex pluviis conſervantur ſive remotius e flumine, ubi dulces continet aquas, navibus advehuntur. Praeterea plenae iſtae terrae paludum & ſtagnantium aquarum ſunt, quae ob halitus putridos hominibus animalibuſque valde pernicioſae ſunt.

Caput provinciae, *Paramaribo* dictum, (binis munitum arcibus *Amſtelodamum novum* & *Zeelandia* nuncupatis, quarum illa propius mari, haec vero proxime urbi ſita eſt) ab oſtio fluminis tria circiter milliaria diſtans, ad ripam occidentalem fluminis extructum eſt. Praeter flumen ubique ſylvis ſeptum eſt; plateae ſpatioſae ſunt, non lapidibus vero ſtratae, aedes pleraeque parvae, unum modo tabulatum, paucae duo altae. Invigilat autem Magiſtratus, ut ſordes omnis generis cito removeantur.

Plantationes omnes (mille vero & ducentae eſſe dicuntur) in ſylvis exuſtis iuxta fluvios collocatae ſunt. Plura in plantatione reperiuntur domicilia, quorum unum in plures caſas diviſum nigritis nocturno tempore praebet domicilium;

alterum praefecto plantationis, reliqua vero mercibus & productis eius terrae, cum praeparandis, tum conſervandis deſtinata ſunt.

Fertilitatem & ſalubritatem ſoli iuvant canales in quibus fodiendis ad aquas ſtagnantes colligendas & derivandas, multum operae ponunt plantationum coloni. Laudabilis pariter munditia eſt, quam in plantationibus inveni, quod ſordes omnis generis cito amoliendas curant. Praeter has plantationes & urbem *Paramaribo* dictam, nec aliam novi *Surinamam* nuncupatam, nec alias civitates ſeptem vel octo numero, remotius a mari in provincia ſitas, divites, populoſas, mercatorias, quas legi in nova deſcriptione Americae (*a*), quas & ignorat iudex hac in re optimus HARTSINCK (*b*). Optimam & accuratiſſimam *Surinamae* deſcriptionem hic Auctor dedit.

Immenſae atque ubique obviae ſylvae, in quibus ſi itinera facienda ſunt, ope pyxidis nauticae, more nautarum inſtitui debent, paludeſque innumerae aërem continuo humidum at-

M 3

(*a*) *Neue Erdbeſchreibung von ganz America. Herausgegeben von* AUG. LUDW. SCHLöZER Viro Ill. *Gott. und Leipz.* 1777. 2ter Theil p. 574.

(*b*) *Vid. Eius Beſchryving van Guiana of de Wilde Kuſt in Zuid-america T. II. Amſterdam* 1770.

que impurum reddunt. Quando igitur in his terris venti ad tempus ſiluerunt & aër dicta ratione corruptus, ſtagnavit, accedente, qui ibi interdiu regnat, calore ſummo, reſpiratio difficillima evadit, & vires ob lentorem circulationis ſanguinis per pulmones, & per totum corpus, perſpirabile retentum in corpore praeſertim in pulmonibus, ſolida ex humiditate relaxata & ſyſtema nervoſum oppreſſum quaſi, deprimuntur (*a*). Nec infirmi modo aut aegrotantes, ita ab hoc vaporoſo aëre afficiuntur, ſed & ii, quibus ſatis roboris eſt. Nam nautae illaeſa ſanitate gaudentes, ſimulac ex iſtis terris ad maris duntaxat littora perveniunt, ex nova atmoſphera, quaſi efficaciſſimo nervino dato corroborari ſe ſentiunt, uti & aegri inde in mare venientes mirabiliter reficiuntur, niſi repentina ſtatim morte extinguantur. Proverbium hinc natum eſt in *Surinama* tritum, veniens in mare aeger vel mox moritur vel recuperat ſanitatem.

Ita vero vaporoſus nebuloſuſque, ſerena etiam tempeſtate, aër eſt, ut ſol conſpici non poſſit & ſolis radiis ope lentis vitreae concentratis, in meridianis adeo caloribus, quidquam accendere nequiverim.

(*a*) GAUBII *inſtitutiones Patholog.* §. 430.

Hae nebulae denſae, quae etiam tunc, quando pluviae nullae inſtant, hoc eſt temperie vel maxime ſicca ſolis conſpectum praecludunt, hoc utilitatis praebent, ut calores diurnos, praeſertim meridianos, imminuant. Nihilominus tempore ſiccitatis, ventis inſuper ſilentibus, intolerabile eſt quaſi cuicumque animali vivere in hac maxime calida temperie, & miror quare non homines, in balneo hoc vaporoſo per duodecim fere horas continuas exiſtentes, vel rarefactione humorum, vel nimia eorum diſſolutione interficiantur. Et patet quoque haec pernicies aëris percalidi humidique praeſertim ex militibus, qui iuſſu ſuperiorum in ſylvas mittuntur, ad nigritos fugientes capiendos, e quibus pauci incolumes redunt, multi repentina in ſylvis morte extinguuntur. Sic pariter ex nautis, qui ad provehendas in curribus merces adhibentur, non paucos novi, qui inter niſus corporis, quos hic labor poſtulat, ſubito exanimati procidebant, nec unquam in vitam revocari poterant. Non ignoro quidem, ex huiuſmodi niſu corporis homines morte apoplectica exſtingui poſſe, ſed in *Belgio* aeque ac aliunde, etiam aeſtivo tempore ſimiles labores peragere vidi, ſine tanta pernicie, ut omnino climatis vis aliquid conferat. Quin etiam multi homines his laboribus vexati, calidiori huic caelo expoſiti, brevi tempore tantam virium la-

bem ſentiunt, ut ſe ipſi neque erigere queant, neque verba articulare, alii ſtatim flavo in toto corpore colore obducantur, alii contrahant talem cadaveroſum livorem, eundemque ita tetrum, ut mirandum ſit, quomodo homo antea ſanus in tam brevi temporis ſpatio ſic conſumi corrumpique poſſit.

Anni tempora generatim ſpectata inter Tropicos, dividuntur in tempus pluviale & ſiccum; ſpeciatim vero in Surinamenſi provincia ambo tempora iterum diviſionem quandam admittunt, nempe in pluviale magnum parvumque tempus & tempeſtatem magnae minoriſque ſiccitatis.

Temporis magni pluvialis initium cadit in menſem Novembrem perduratque ad finem circiter Februarii; tunc incipit tempus minoris ſiccitatis, etiam aeſtas minor (*a*) dictum, quia tantum per ſex hebdomades durat, puta per menſem Martium dimidiumque Aprilem, atque hoc tempus, quoniam minor eius regionis productorum tunc colligendorum proventus eſt, quam tempore maioris ſiccitatis, meſſis parva (*de klyne Plücke*) dicitur. Qui ſequuntur menſes tempus pluviale parvum adferunt, perdurans ad finem Iunii vel medium Iulii, quo tempore tempeſtas ſicca maior

---

(*a*) Cf. *Mém. pour ſervir à l' hiſtoire de Cayenne par Mr.* BAION T. I. p. 5. *Paris* 1777.

incidit, ad Novembrem uſque menſem excurrens. Miror in determinandis anni temporibus in his regionibus FERMINUM lapſum eſſe, cum per octo annos ibi verſatus ſit; certe ea minus recte verbis expreſſit. Nam iuxta ſententiam ſuam per totum fere annum tempeſtas pluvialis regnat (*a*).

Tempeſtas pluvialis magna dicitur, quia tunc temporis imbres adeo frequentes ſunt copioſique, ut totae regiones inundentur, coniuncti interdum cum procellis turbinibuſque horrendis, quibus finitis iterum calor ſuccedit admodum moleſtus tonitribus fulguribuſque interdum ſtipatus, quae etiam hominibus minime trepidis terrori ſunt. Eadem ratio tempeſtatis tempore pluviali parvo eſt, modo quod pluviae & imbres tunc non ita frequentes ſint, ac tempeſtate magna pluviali. In utraque vero tempeſtate nimii ſolis calores paullulum temperantur. Hi tempore ſiccitatis maioris & minoris valde moleſti ſunt & abſorbent quae ex pluviis ſtagnarunt aquas. Magis tunc conſtabilis tempeſtas eſt, cum in utroque pluviali tempore ſingulis fere horis mutetur. Sicco quidem illo tempore interdum incidunt etiam pluviae, potiſſimum poſt tonitrua horrenda, ſed non diu durant.

(*a*) Cf. *Eius tableau hiſtorique & politique de l' Etat ancien & actuel de la colonie de Surinam & des cauſes de ſa decadence. Maſtricht.* 1778. p. 210-211.

Praeter haec anni tempora nocturnum quoque tempus notabilem tempeſtatis viciſſitudinem affert. Nam hoc tempore aër humidus, ac ſemper frigidus exiſtit, ad quod accedit, quod ſiccitatis temporibus rores gelidi ſub aurora cadentes imbrium raritatem compenſent.

Ventos quod attinet ſalubriores in hac provincia habentur ſubſolanus & aquilo, cum libs, qui ſiccam quidem, ſimul tamen putredini corruptionique humorum faventem, temperiem affert; Zephyrique pluviam inferentes, atro notantur calculo.

Tabulas quod doleo meteorologicas, ex accurata tempeſtatis obſervatione non conſignavi, cum & negotia non permitterent mea & ex parte tum inutiles mihi viderentur, monente GAUBIO. »Is enim qui conſiderat, inquit, in atmoſ-
» phaeram perpetuo recipi diffundique omnivaria
» quorumcumque corporum effluvia ſubtilioreſque
» moleculas, quae quovis demum modo volatiles
» redditae, multifariam inter ſeſe & cum aëre
» permiſtae, diviſae, coniunctae, pro ſuo quae-
» vis ingenio alias atque alias agendi vires ha-
» beant exſerantque in corpora humana, quae
» una cum aëre alluunt ac ſubintrant; is facile
» videt, innumera ex hoc fonte promanare mor-
» borum principia ac materias, quae fruſtra quis
» ab ipſomet aëre, aut a communibus eius qua-

» litatibus repetat perque obſervationes meteo-
» rologicas unice detegere atque explicare co-
» netur « .

Victus itidem ratio diverſa in terris Surinamenſibus eſt. Fructus ſucculenti ſubacidi, qui a plantationibus apportantur, ananas, banana, poma Sinenſia, coccos, quibus advenae praeſertim valde delectantur, ſi vel in nimia quantitate ingeruntur, vel magna aquae aut cereviſiae copia ſuperbibitur ſaepe in perniciem cedunt eorum qui illis veſcuntur. Divitibus caeteroquin incolis eaedem fere dapes ſunt, ac in noſtris terris, quoniam ex Europa omnia pene quae ad victum pertinent lautiorem, navibus advehuntur, licet multa ex itinere longo corrumpantur. Horti tamen in plantationibus, qui, ſeminibus quotannis ex Europa adferendis, bene coluntur, obſonia multa ſuppeditant. Frumenta non ſuggerit ſolum Surinamenſe, ſed qui coquitur panis e farina paratur, quam naves e Nova Anglia advehunt. Victum vero nautarum nigritorumque ſi ſpectemus, magis legibus frugalitatis, quam ſalubritati accommodatus, multis morbis anſam praebere debet. Hi enim e carne bovilla, ſuilla, lardo ſale & fumo induratis, aſellis arefactis, leguminibus, v. c. piſis albis nigriſque, pane biſcocto, butyro rancido, caſeo putri & ſimilibus vivere coguntur.

Aqua & in hac provincia communiſſimum potus genus eſt, ſed cum pluvialis ſit aut e longinquo navibus adferatur, raro recens aut ſatis limpida, interdum putris eſt. Cereviſia & vina ex Europa transferuntur & ditiores modo delectant. Vinum aduſtum e ſaccharo paratum & ſpiritus frumenti praeſertim qui ſuper iuniperi baccis abſtractus eſt, potiſſimum a nautis magna copia ingeritur. Coffeae & Theae potus ſatis frequenter & plerumque quotidie ter potatur.

Magnis praeterea laboribus ab hora matutina ſexta ad pomeridianam ſextam, exceptis binis meridianis horis, nautae atque nigriti fatigantur. Penes nigritos enim omnes fere labores & in rure & in urbe ſunt, dum feliciores domini otio ſomnoque indulgent. Nuda illorum corpora inter duros labores, ardentiſſimis ſolis caloribus expoſita, verberibus inſuper lacerantur. Magis tamen miſeranda videtur nautarum ſors. Nam cum nigriti magno ſaepe pretio emti ſint, non ad tam duros, quam nautae labores adiguntur. Nauta, braccis largis ex linteo craſſiori paratis, & induſio linteo colore coeruleo indutus, ſaepius tamen ſeminudus, merces in navi contentas, machinamentis emovere, & eas partim curribus, partim naviculis impoſitas, in plantationes perferre debet. Aliis praeterea & mari & terra laboribus vexatus, ſaepe ſi in plan-

tationes ſecundum flumen naviculae provehendae ſunt, ne ſomnum quidem capere poteſt, cum nigritis dormiendi tempus detur. Incolae provinciae, nimis praeterea otioſi & gulae indulgentes, linteis utuntur veſtibus, quas ob ſudores quotidie mutare coguntur, caputque mitra & pileo tegunt. Poſtulat climatis vis hunc veſtitum. Hinc & otium corpori contrahitur, quod propter diurnos calores nocturnumque frigus, nemo, niſi negotiis coactus, ambulando corpus movere cupit. Quae licet ita ſint, tamen incolae, veluti nigriti & nautae ſudoribus diurno tempore fere diffluunt; tunc vero parum urinae mittunt, quae veſpertino nocturnoque tempore maxima quantitate ſecedit. Ideoque & alvi ſegnities inducitur, quam oleo ſumto, incolae tollere conſueverunt.

Inter has ſanitatis noxas, non infimae ſunt quas animi perturbationes pariunt. Hae enim Dominos aeque ac ſervitiá cruciant. Moeror multos ſine dubio conficit. Multi Indias petunt ad colligendos theſauros, quae ipſos ſpes ſaepius fruſtratur. Alios deſideria patriae, parentum, cognatorum &c. vexant. Sic & ad ſervitia moeror deſcendit, quae mox libertatem, mox meliorem dominorum fortunam optant, praeſertim inter labores & verbera. Immo nigriti magis & vehementius animo commoveri mihi viſi ſunt, quam Europaei quod qualemcumque animi perturbatio-

nem, facie, motu manuum & corporis accurate exprimebant. Venere itidem exſtinguuntur multi. Climatis calidi vis eſſe videtur, quod tantopere veneri dediti ſint huius provinciae incolae & quod in lucro ponatur, ſi nigrita parit. Hinc ex vaga cum nigritis puellis venere adeo contabeſcunt, Europaei praeſertim, qui huc perveniunt, ut quemadmodum Ovidius canit:

Vox tantum atque oſſa ſuperſint.

Ex iis quae propoſui, intelligent Lectores, quae ſit ratio caeli inſalubris Surinamenſis. Nam incolae ditiores navium aut plantationum praefecti non tantas inde experiuntur noxas, quantas ſervi & nautae, his magis expoſiti. Hinc & ſenes vidi in hac provincia & multos ſanitate integra gaudentes; memini etiam ex infimae ſortis hominibus me quoſdam aetate provectos notaſſe, quorum inter tantas ſanitatis inſidias corporis robur miratus ſum. Plerique tamen ex iis, qui per aliquot annos in *Surinama* vixerunt, macilenti, ſublividi, exſangues & pauci obeſi ſunt. Raro quis reperitur cui vera inſit plethora; in pleriſque etiam ſanis a bile ſemper primae viae perturbatae inveniuntur. Morbi ideo inflammatorii, ſi qui ibi occurrunt, in iis fere unice notantur, qui modo ex Europa huc pervenerunt. Mirum hoc videri poteſt, cum ſpiritus ardentes magna copia ibi potentur; nec explicare poſſum, niſi

inter victus animalis, certe recentis penuriam, a ſudoribus animique commotionibus ſanguinem depauperari ſtatuas. Ipſe in morbis, qui mere inflammatorii initio videbantur, noxas venae ſectionis aliquoties notavi, dum ſanguis tenuis, ſublividus aut ſubviridis, cuticula interdum verſicolori tectus educeretur. Hinc quae prophylaxeos cauſſa inſtitui ſolet, raro inter Surinamenſes admittitur ſanguinis miſſio & ipſe in acutis illa commotus experientia rariſſime venam ſecui, parcam modo ſanguinis quantitatem educens, atque in paucis tantum venae ſectionem repetere coactus ſum.

Ex advenis, qui huc deferuntur, plerique morbis implicantur. Cauſſae in morbis, quos in aliis terris contraxerunt, victu navium, animo commotionibus perturbato, & repentina aëris, frigidi praeſertim cum calida mutatione &c. ponendae. Deinde & hoc noxium eſt, quod in hac provincia ita vivere, ut in Europa, nec ſe climati calidiori accommodare velint. Hae rationes ſunt, quod ex advenis, Europaeis potiſſimum, tam multi in morbos incidant, iiſque conſumantur. Climati vix haec pernicies ſoli tribui poteſt, ut ex dictis patet, ſed ex parte etiam curae aegrorum adſcribenda, quae certe admodum in plantationibus negligi videtur, ubi binis

tribuſque unicus plerumque modo Chirurgus praepoſitus eſt, cui aegrorum cura demandata.

De Morbis quos Epidemicos notavi.

Qui plures eodem tempore invaſere morbi, ſicuti e dictis coniici poteſt, quam diu inter Surinamenſes vixi, febres fuere bilioſae, putridae, nervoſae, catarrhales, febres miliari exanthemate aut petechiis ſtipatae ac dyſenteriae. Variolarum aut morbillorum epidemiam ibi non obſervavi; audivi vero, hos morbos vehementius, quam in noſtris terris eius regionis incolas, praeſertim nigritos affligere; memini etiam, in novis publicis, quae gallico ſermone ſcripta prodeunt, me legiſſe, variolas mox poſt diſceſſum meum tanta vehementia graſſatas eſſe, ut ſuperiorum iuſſu inſitae iis ſint, quos variolae naturales non invaſerant. Nec febres intermittentes praeſertim tertianas, me praeſente, epidemicas vidit haec regio. Iſti quorum epidemias notavi, morbi intercurrentibus aliis graſſantes, maximam partem ſine dubio ſoboles viciſſitudinum aëris eiuſque iniuriarum erant. Non mirandum, aërem calidum & ſiccum nervoſos, calidum & humidum putridos bilioſoſque, humidum cum frigoribus nocturnis catarrhales ac dyſentericos morbos produxiſſe. Primi ideo qui his morbis tentabantur, eius generis

neris homines erant, qui aëris iniuriis maxime exponebantur, nautae ſcilicet & nigriti. Ubi inter infimae ſortis homines morbi fere adoleverant, & ditiores afficiebantur, quod tunc potiſſimum fieri conſuevit, ſi contagiis propagabantur. Et hoc animadvertere licuit, eos, qui in plantationibus, propter ſtagnantes aquas aliaſque cauſſas, inſalubribus degebant, facilius epidemiis & gravius afflictos eſſe, quam eos, qui prope mare habitabant. Nec eadem epidemia in omnibus aegris eundem morbum excitavit; ſed morbi prima facie ſibi diſſimiles, iidem ſaepe in eventu tandem atque in curatione apparuere. Difficillimum igitur erat aſt ſimul utiliſſimum, genium noſſe epidemiae, quo detecto, minime difficilis, quamquam non in omnibus poſſibilis fuit medela. Felix enim eventus in curatione non modo a morbi indole & vehementia & matura eius cognitione, ſed etiam ab aegroti aetate, viribus &c. pependit. Plura de his dicentur mox ubi de ſingulis in febrium enarratione epidemiis ſermo erit.

FEBRES.

Febrium acutarum is in univerſum in hac regione genius erat, ut ſedula accurataque obſervatione perſuaſus ſum, ut & omnibus chara-

ĉter bilioſus adeſſet, & facile in putridas abirent. Quotieſcumque quis febre corripiebatur, ſtatim lingua ſordibus, flavis potiſſimum, tecta conſpiciebatur, oris aderat amarities, caput & hypochondria dolebant, & ſi calor modo febrilis vehementius affligeret, ſimul oculi totumque corpus flavo colore tingebantur. Ex altera parte in decurſu febris, quae, ſi ex collectis ſignis morbi nomen ponendum, initio putrida non erat, putridarum naturam facile induit, ſudoribus profuſis, diarrhoeis foetidis, haemorrhagiis, exanthemate miliari aut petechiis ſubito enatis. Novi quidem & in noſtris terris in omnibus fere febribus acutis, bilis calore ſine dubio febrili corruptae & ſtagnantis in primis viis ſigna adeſſe, deinde & quamlibet fere febrim huius generis, praeſertim perverſae medelae interventu, in putridam abire poſſe; ſed vere affirmare poſſum, me in noſtris terris, immo in Belgicis tantam ad utrumque proclivitatem non notaſſe. Cauſſam mecum eruditus quiſque in tempeſtate calida cum humiditate coniuncta, quae apprime favet morbis putridis bilioſiſque, victuque praecedente pravo, ad putredinem diſponente, qualis in navibus victus eſt, ponet.

En febris bilioſae faciem! Initio laſſitudo ingens, capitis dolor gravativus, maxime in ſyncipite, torpor membrorum, praecordia inflata,

dura, ex pondere quaſi dolentia, dolores tenſivi ad ſpinam dorſalem, amarities oris, appetitus plane proſtratus, cum anxietate & vigiliis aderant. Mox ſubito horripilatio vel frigus, quotidie interdum in primordiis morbi recurrens, ſed alternis magis diebus ſibi reſpondens, ut tertianae duplicatae haud abſimilis videretur, invaſit aegrum ſubſequente calore & ſiti ingente. Cutis tunc arida, (humida modo remittente febre) livida, oculi lividi, lingua ex toto flava, ſordibus craſſis obducta, premens urenſque dolor in praecordiis, inflatio ventriculi, inquietudo, vomitus bilioſi crebri, intercurrentibus irritis vomendi conatibus, diarrhoea aquoſo-bilioſa, ubi tam acres ſordes ſecedebant, ut mox ſpaſmi inteſtini recti atque dolores eius orirentur, notata ſunt.

Febris exigua tantum remiſſio, una fere in alteram terminante exacerbatione, ſentiendi movendique facultates valde imminutae, tremor membrorum, deliria, atrocia plerumque, aut ſopores, ſpaſmi fugaces irritationem bilis acrioris in toto corpore praeſentem teſtantes, ſubſultus interdum tendinum, aliaque huius generis ſymptomata morbum periculoſum & eius exitum dubium reddidere. Urinae iumentoſae ſaturatae, in progreſſu morbi pellicula verſicolori tectae, pulſus primum celer, inaequalis, plenus, quod

ad venae ſectionem invitabat, deinde vero parvus, tremulus & intermittens non raro fuere. In decurſu lingua arida, limae ſimilis, nigra, fiſſa & tremula facta eſt, uti & oris foetor, feces alvinae fuſcae atque foetidae, meteoriſmus abdominis & borborygmi, cum ſumma virium proſtratione, animi interdum deliquia inferente & ad ſudores proclivitate conſequuta ſunt. Hac ratione ad vigeſimum primum diem & ulterius in multis febris haec extenſa eſt; non paucos vero quinto ſeptimove die, alios ſerius accedentibus miliari exanthemate aut petechiis, quoſdam & poſt morbum hunc cachexia, oppreſſit. Morbo certe hoc ſuperato corpora emaciata, coloreque qualis in ictero nigro eſſe ſolet deformata relinquebantur, quemadmodum & ventriculi languor, pedumque oedemata diu ſupererant, nec non aegri hebetes ſtupidique, interdum ſenſu quodam ad tempus privati dimittebantur. Quando tertius, quintus aut ſeptimus dies, praegreſſis bilis evacuationibus magnis, nihil levaminis, nec ſudorem aequabilem attulit, aegroti periclitabantur; ubi deliria, convulſivi motus, animi deliquia, ſopores fati appropinquantis nuntii erant. Non in omnibus quidem haec bilioſae febris facies fuit; levius aegrotarunt nonnulli, maxime illi, qui gracili debilique corporis conſtitutione gaudebant; nam robuſti obeſique gravius ſemper laborarunt.

Patet ex his, cum gaſtrica febre fere ſemper in decurſu putridam complicatam fuiſſe; quando tunc anxietas magna, deliria aut dolores quaſi iſchiadici aderant, petechiae fere ſemper in cutem prodierunt; uti difficilis reſpiratio, ſudores ſubacidum odorem ſpargentes, & ſymptomata ſpaſtica multa miliare exanthema mox proditurum clare declarabant. Status hic periculoſior illo fuit, & ſi ex obſervationibus qualibuſcumque meis ſtatuere quid licet, potius hoc exanthema ad nervoſorum, quam putridorum familiam referrem. Foeminas enim hyſtericas & hypochondriacos prae caeteris vexat, atque in ſatellitio ſymptomatum ſpaſticorum in cute apparet; licet propterea non negem, ſemper diatheſin putridam ſimul adeſſe. Interdum ex ſola urina, quae ex iumentoſa, aquea, limpidaque fiebat, binos dies ante eruptionem hoc exanthema praeſagivi. Inflammationum cum gaſtricis febribus complicationem portentoſam raro notavi. Dolores in dextro hypochondrio & circa umbilicum fixos, licet cum ictero venirent, bili potius incarceratae quam ſtaſi inflammatoriae adſcripſi, quod reliqua abeſſent inflammationum ſymptomata & evacuantibus cederent. Eiuſdem originis dolores circa cordis ſcrobiculum & ventriculi regionem, inter initia gaſtricarum febrium incidentes manifeſte erant, quod emeticis cito tollebantur. In decurſu vero bilio-

ſarum in putridas converſarum, ſecum alvinarum, aegris inſciis ſecedentium, cadaveroſus foetor, inflatio abdominis tympanitica, ſopor, gangraenam praeſentem & praegreſſam inflammationem declarabant. Quidni a tam acri & cauſtica bile inflammationes oriantur? Rheumaticos dolores ſaepe coniunctos vidi. Latentem plerumque bilem, pituita multa infarctam, & praegreſſum refrigerium in aëre humido nocturno cauſſam arguebant & raro in decurſu notabantur. Verum unde tanta illis & copia & corruptela? Regionis calores peculiarem ſine dubio acrimoniam bili impertiunt, & hoc non modo circa bilem in hepate, cyſtide fellea & duodeno ſtagnantem fieri videtur, ſed iuxta particulas etiam, quae in hepate ſecretae, bilem largiuntur, adhuc in ſyſtemate ſanguifero contentas. Nam ſi modo bilis quae in hepate ac cyſtide continetur, aut in duodenum & ventriculum effuſa eſt, corrumperetur, binis aut tribus evacuantibus, emeticis & purgantibus, bile excreta febris bilioſa tolleretur. Hinc magis in ſanguine diffuſa eſſe corruptela videtur, quod irritatio ſub ingreſſu febris gaſtricae univerſalis eſt, & univerſum mox corpus flavo colore tingitur. Nec comprehendi poſſet, quare fervor climatis ſpecifice modo in bilem in ſyſtemate bilifero collectam agat.

Augetur bilis & acrimonia eius ab eſu car-

nium, pinguium & corruptarum, lardo, ſale conditarum &c. quae frequens cauſſa in hac provincia eſt. Deinde iſtud etiam, quod minus plethorici ſint homines in terris illis viventes, fortaſſis frequentiores reddit febres gaſtricas; nam bene monente STOLLIO *Viro Celeb.* (*a*) ſanguis domitor bilis eſt. Perſpirabile, quod in iſto caelo nocturno tempore facile cohibetur, copiam pariter bilis auget, & febrim plerumque uti & alia in diaeta commiſſa vitia accendit.

Medelam quod attinet brevis eſſe poſſum. Emetica & purgantia, interpoſitis ſolventibus ſalinis ac tartaro emetico refracta doſi dato, acida, clyſteres, potus diluens, involvens, ſubacidus, temperans, cum conveniente diaeta & regimine morbo opponebantur. Venae ſectio, ut aliquoties vidi, valde nocuit. Inclinante morbo in putridum, antiſeptica evacuantibus iungebantur.

Dicendum nunc quidem eſſet de febribus putridis, placet vero quaedam de dyſentericis febribus interponere, quod & hae gaſtricae indolis ſunt.

Qui dyſenteria affligebantur, plerumque ſtatim ab initio de cardialgia, nauſea & torminibus in abdomine primo levibus, in decurſu vero in-

(*a*) Cf. *Eius ratio medendi* T. II.

gentibus, teneſmo & alvinis deiectionibus creberrimis, uti & febre e continuarum remittentium genere conquerebantur. Raro praeceſſit diarrhoea. Sanguis etiam mox ſeceſſit, ita quidem ut primo ſtriae modo ſanguineae in fecibus apparerent, deinde hae magis tinctae ſanguine eliminarentur. In multis quoque per totum morbi decurſum nihil ſanguinis excretum eſt. In iis, quorum feces parcam ſanguinis ſinceri copiam oſtendebant, ſed quae tantummodo ex albo, ſpumoſo, viſcido muco, cui ſtriae ſanguinolentae admixtae erant, conſiſtere videbantur, & vires magis proſtratae & vehementiora abdominis tormina aderant. In omnibus a morbi primordiis intolerabilis fecum foeteor notabatur. Facies & cutis aegrorum plerumque e livido cineritia erat. Multos etiam urinae ſuppreſſio aut ſtranguria exercuit. Cutis arida fuit, pulſus, vigentibus praeſertim torminibus, parvus & contractus, anxietas & iactatio ingens. Febris ab initio continua remittens, in primis morbi diebus ingens fuit; in illis, qui evaſere e morbo, torminibus, teneſmo & alvi fluxu ſenſim deſinentibus, in decurſu mitior reddebatur aut plane evanuit, aut in intermittentem abiit. Saepe cum intermittente febre morbus invaſit.

Iſti in quibus mox ſanguis eliminabatur cito periere. In univerſum affirmare poſſum, plures hoc morbo extinctos eſſe, quam in noſtris re-

gionibus fieri ſolet. Hoc ſine dubio derivandum eſt, partim ab inſalubri temperie, partim a victu malo, quo ante morbi ingreſſum, vario modo corpora corrupta erant, partim quod in multis aegris nec conveniens regimen, nec diaeta aut medela apta adhiberi poterat. Non paucos enim curavi aegros huiuſmodi, qui in naviculis verſabantur, quae ad Coffeam aut ſaccharum aliaque huius generis e plantationibus tranſportanda ſecundum flumen regionis *Surinamenſis* emittebantur. Hos ingenue fateor, non morbus ſed inopia rerum fere omnium ad curationem neceſſariarum interemit. Eos, qui moriebantur, plerumque deliria levia, animi deliquia, convulſiones, ſingultus, ſopor & id genus alia ſymptomata vexabant.

Cauſſa a qua proxime dolores, ſpaſmi & hic alvi fluxus inferuntur, acrimonia ſui generis videtur. Hanc eaedem fere, quas gaſtricarum modo dixi, cauſſae pariunt. Multos ex incolis, nigritis & nautis hunc in morbum incidiſſe memini, qui in continenti & navibus, ob varia negotia ingenti ſolis aeſtui interdiu & nocturno tempore frigori aut etiam pluviis & rori ſe expoſuerant. Manifeſte etiam ad geneſin dyſenteriae varia eſculenta conferunt, ea maxime quae valde ſucculenta ſunt & in quibus acidum quoddam ſubdulce latet reconditum v. c. *Ananas* (*a*), *Melo-*

(*a*) V. BONTIUS p. 145. *qui deceptor a gratiſſimo*

nes aquoſi , *Poma ſinenſia* , & *Banana* , qui fructus , ultimo loco dictus , uti fieri ſolet ad tempus ſuſpenſus, ubi flavedinem contraxit, dulcem quidem ſaporem habet ſed ventriculo valde infeſtus eſt . Ab his eſculentis dyſenteriam ſimiliter derivat *du* BUISSON (*a*). Ipſe ſaepius vidi, ubi haec eſculenta avidius ingeſta eſſent , & ob ſitim plerumque inſequentem maximam , magna aquae copia potata (*b*) , ſtatim natam eſſe dyſenteriam , quod mirabuntur ii e recentioribus , qui a fructibus horaeis maturis non oriri poſſe dyſenteriam ſtatuunt . Novi quidem etiam ſalutares effectus horum fructuum ad praecavendam curandamve dyſenteriam & ipſe pomorum Sinenſium, uti Citreorum modicum uſum morbo laborantibus imperavi . Et *Banana* toſta in fruſtis minoribus exbibita , ut medendi ibi methodus eſt, ſaepe adeo dyſenteriam ſuſtuli. *Banana* enim toſta alvi fluxus ſiſtit . Quomodo vero fructus hi ſubdulces dyſenteriam excitare poſſint , fortaſſis explicari poteſt ex fermentatione aut aëre fixo , qui magna copia inde & ſubito evolvitur,

---

ſapore huius fructus incurabilem dyſenteriam incurrere aſſerit .

(*a*) Cf. *Diſſ. de dyſenter. indica. Lugd. Batav.* 1720.

(*b*) *Interim notavi quoque eos non dyſenteria correptos eſſe, qui fructibus his ingeſtis ſtatim ſpiritum frumenti vel ſimiles liquores ſuperbibebant ; & hac ratione ibi multi hunc morbum avertere ſolent* .

& a quo ad ſpaſmos inteſtina ſatis ſtimulari poſſunt. Sic colicae ſaepius a contrariis ingeſtis v. c. lacte & acidis, & cholerae a cucumerum acetariis eadem de cauſſa excitantur. Et ſi acrimonia modo in inteſtinis nata ad gignendam dyſenteriam requiritur, quare non acrimonia acida a fructibus his ſubacidis generata ſufficiat? Ac quare negant recentiores, quod tot auctorum teſtimonia affirmarunt? Contagio denique hic morbus diſſeminatur, quae cauſſa ob conſortium nautarum & nigritorum contagia minime evitantium, frequens eſt.

Morbo huic haec fere opponebantur. Primum emeticum ex rad. Ipecacuanhae exhibebatur, deinde rhabarbarum parvis doſibus & tandem plerumque ope corticis ſimarubae & corticis peruviani morbus profligabatur. Profuit inprimis rhabarbarum una cum cortice ſimarubae exhibitum. Pro potu aqua in qua Gummi arabicum ſolutum erat, aut decoctum panis biſcocti cum pauxillo ſucci Citri propinabantur. In hac regione laudatur remedium contra dyſenteriam, quod in iſta dyſenteriae ſpecie, quae gaſtricae putridae indolis erat, ſummo cum emolumento aliquoties exhibui, ſcilicet ſuccus limonum ad tres uncias repetitis vicibus, per aliquot dies dandus (*a*). Hoc

(*a*) *Fortaſſis in acidis quibuſvis virtus contra dyſen-*

remedio quoſdam aegros, in quibus alia remedia incaſſum tentaveram, intra paucos dies ſanavi. Atqui hoc non contradicit iis, quae ſupra propoſui. Nam multa remedia maiori copia ingeſta morbum excitant, quem eadem remedia minori doſi exhibita ſaepe tollunt. Mihi arriſit haec methodum, quod noveram, ſpaſmos aeque vehementes in cholera ſucco Limonum aut alio acido cum ſale alcalino fixo exhibito, ſaepe feliciter ſedari. Aliud Surinamenſe remedium contra dyſenteriam *Banana* toſta eſt. Hic fructus, cortice exteriori deglubito, prunis imponitur & ubi mollitiem cum flavo colore ab igne contraxit, in taleolas diſſectus aegris offertur. Multi aegri ſtatim ab initio morbi, alii in decurſu eius hoc remedio utuntur & feliciter ut ſaepe vidi dyſenteriam profligant. Comedi hic fructus debet, dum adhuc ex igne calet, licet alii etiam hunc refrigeratum aſſumant. Vis adſtringens in eo eſt, qua & aliae alvi fluxiones ſiſtuntur. Noxas inde ipſe nunquam vidi, tametſi facile largiar, ex hoc remedio damna oriri poſſe. Praeterea & fomentationes tepidae ventri impo-

---

teriam latet. Nam legi in Ephem. Nat. Curioſ. Dec. III. A. I. Obſ. 62. hiſtoriam ruſtici, qui cum multa alia remedia incaſſum tentaſſet, ſuo ductus inſtinctu acetum aſſumpſit & inde hoc morbo feliciter liberatus eſt.

ſitae ſunt & clyſmata ano iniecta. Praeſertim laudabatur contra hunc morbum clyſma ex lacte, in quo terebinthina cum vitello ovi ſubacta ſoluta erat.

Ventris fluxus inſuper alios, praeſertim diarrhoeas birioſas notavi. Facile & aliis morbis ſe adiunxere diarrhoeae, quos funeſtos reddebant. Cholerae quod mirabar rarae fuere, immo rariſſimae. Sed nunc tranſeo ad febres putridas.

Hae vero tempore ſiccitatis minoris, tempeſtatem pluvialem magnam excipientis praeſertim populares notabantur. Calore tunc caeli aquae ſtagnantes abſorptae halitus noxios in aëre augebant; corpora ex humiditate relaxata & debilitata, perſpirabile retentum, & functiones oeconomiae animalis partim turbatae, partim labefactae erant. Hinc accedente victu aut potu, putridinoſae corruptelae favente, facilis erat febrium putridarum origo. Raro ad aegros his febribus laborantes ſub primordiis morbi vocabar; plerumque tertio aut quarto die. Initio febres huius generis differebant. Mox ephemerae mitioris facies ipſis erat, mox catarrhalis febris, mox rheumaticae; interdum bilioſam, interdum inflammatoriam febrim, potiſſimum pleuritidem mentiebantur. Primis praeterlapſis diebus genuinam prodidere indolem. Tunc vires aegrotantium citius & magis proſternebantur, quam intra paucos morbi dies fieri

debuiſſet, calor mordax, pulſus celer & debilis; urinae plerumque clarae, ſubflavae, tremor manuum, linguae, lingua arida, flavis aut nigris ſordibus tecta, dentes & gingivae, (quod in pleriſque notavi) ſordibus albicantibus, pultaceis quaſi obducti, oris foetor, oculi leviter inflammati aut lippi, haemorrhagiae narium prima indicia, capitis gravitas & dolor tenſivus, cum ſingulari quadam animi aut aequitate, qui nulla re turbari poterat, aut meticuloſitate obſervabantur. In quibuſdam nauſea continua ſine vomitu, qui & arte difficulter excitari potuit, in aliis maxima alvi ſegnities, in omnibus ſudor facilis, & initio morbi pervigilium notabantur. Febris mox magis continens, mox manifeſte remittens fuit; haec gaſtrica erat, diutius durabat; illa magis ſanguinea ſive venoſa, inflammatoriam ab initio diatheſin mentiebatur & peracuta, interdum acutiſſima erat. Icterus & in his notabatur febribus. Poſtremum ſtadium detexit febris indolem; nam tunc proſtratio virium ſumma, calor urens, pulſus celerrimus, tremulus, lingua nigra, fiſſa arida; ſitis ingens, deinde nullum potulentorum deſiderium, animi deliquia, ſopor, convulſiones, deliria, urinae clarae, magna copia ſecedentes, foetidae, diarrhoeae colliquativae, foetidiſſimae, ubi ſordes inſcio aegro ſecedebant, haemorrhagiae narium, lotium interdum ſangui-

nolentum, feces alvinae ſanguine tinctae, color faciei & corporis plumbeus, petechiae & vibices, lividae, purpureae, coeruleae, miliare exanthema, ſingultus, meteoriſmus abdominis, & quae ſunt reliqua portentoſa ſymptomata, aderant.

Funeſtus in pleriſque exitus fuit. Curationis autem haec methodus fuit. Primum temperantibus, evacuantibus, emeticis & purgantibus, in primis morbi diebus, ut aliae febres impugnabantur. Cognito hoſte acida, cortex peruvianus, radix ſerpentariae Virginianae, lignum Quaſſiae exhibebantur. In decremento virium, putredine latius diffuſa exhibebatur camphora in ſolo ſpiritu frumenti ſoluta, quae ſolutio cochleatim propinabatur. Quando ſumma virium proſtratio adfuit, vinum album gallicum cochleatim continuo, & ut aliquoties vidi, ſummo cum emolumento aegris infundebatur.

De febribus inflammatoriis & catarrhalibus nihil habeo, quod praeſertim memoria dignum ſit. Hae facile in malignas, aut phthiſicas abiere; iſtae in putridas. Suppurationes hinc rarius occurrebant, ſaepius gangraenae.

Febres nervoſas virium ſubitanea, maximaque proſtratio ſine apparente cauſſa, decubitus hinc in dorſo, ſitis nulla aut exigua, febris levior videbatur, lingua plerumque ſicca, ſordibus albicantibus parum tecta tremulaque, mens ae-

qua quaſi meditabunda, pervigilium, urina pallida, in decurſu deliria, animi deliquia, convulſiones aliaque e ſpaſticorum claſſe ſymptomata declarabant. Neutiquam vero omnium reſpectu durationis eadem fuit ratio. Quaedam enim intra ſeptem dies abſolvebantur, aliae ad vigeſimum primum diem & ulterius excurrebant. Morbus plerumque morte finiebatur. Convaleſcentes lente modo & vix intra tres menſes vires recuperabant. Haec vero fuit medendi ratio. Praemiſſo evacuante leniori & exhibitis quibuſdam temperantibus ſalinis, febre paullulum ſedata, camphora in Liquore anodyno minerali HOFFMANNI ſoluta guttatim exhibebatur. Interdum etiam emetica cum ſucceſſu data ſunt, plerumque ſi latentis colluviei bilioſae ſigna notabantur. Si amarities oris evacuantibus datis remanebat, caſtoreum in aqua ſolutum & cum parca Liquoris anodyni quantitate mixtum, proſpero cum ſucceſſu adhibebatur, quo ſcilicet haec optime, cum aegroti manifeſto levamine, propellebatur. Incidente debilitate maxima cortex peruvianus, Quaſſia & vinum gallicum album ſedulo propinabantur.

Interdum ſub calido illo caelo febris occurrit, quae proximam cum anglicàno ſudore ſimilitudinem mihi habere videtur. Aegri ſummam repente virium iacturam ſentiunt, ſimulque

de

de capitis dolore & anxietate conqueruntur. Maxime inquieti ſunt ab initio, oculi turbidi & obſcuri & quaſi reti obtecti, pupilla valde dilatata & aegri quaſi in ſomnum demerſi, ex quo vero facile expergefieri poſſunt, continuo oculos claudunt. Quando loqui conantur vox admodum debilis & rauca. Haec inter ſymptomata ſudor erumpit profuſus e poris quaſi ex totidem fontibus continuus. Sitis tunc inextinguibilis eſt & aegri inprimis delectantur potulentis acidulis. Pulſus plenus, frequens molliſque exſiſtit, calorem tangens quandam partem ſummum percipit digitus. Continuo aegri in dorſo cubant, eorumque brachia iuxta corpus immobilia iacent, reſpiratio debilis anxiaque eſt, & morbus tunc tramitem ſine notabili remiſſione perſequens, aegros plerumque intra paucos dies iugulat.

Unicus hoc morbo laborans aeger curae meae traditus fuit. Robuſto corpore gaudebat, florentis aetatis erat, & tormentarius in nave, qua tranſvectus eram. Sine ulla remiſſione per duos dies continuos dictis ſymptomatibus & praeſertim ſudore profuſo perpetuo profluente vexatus erat. Nihil acida mineralia & vegetabilia, cortex peruvianus, clyſmata, ſalina aliaque remedia profuerant. Signa ſordium in primis viis nulla aderant, hinc dubitabam etiam, evacuantia offerre aegro. Tandem venam ſecare conſultum

duxi, neſcio qua adductus ratione, fortaſſis vero unice propterea, quod mihi nullum remedium praeter ſanguinis miſſionem ſupereſſe videretur. Ac inſigne quidem emolumentum haec attulit; ſudor & reliqua ſymptomata imminuebantur. Tunc aegro bene ſe habenti, laxans lene rhabarbarinum, addito pauxillo ſalis medii cuiuſdam, exhibui; peracta vero purgatione ſudor rediit in ſatellitio reliquorum ſymptomatum memoratorum. Hinc poſtero die denuo ſanguinem miſi & aegrotanti tantum potum acidulum & decocto panis biſcocti cum ſucco citri propinavi, unde per noctem bene dormivit inſequentem, & quarto morbi die ſudor cum dictis ſymptomatibus fere profligatus fuit. Quare nunc corticem peruvianum iterum tentavi in pulvere, & quidem in parvis tantum doſibus puta ſcrupulo uno, quo factum eſt, ut aeger brevi ex toto reſtitueretur.

ASTHENIA.

Non hoc loco commemorarem laſſitudinem membrorum & totius corporis permagnam, in terris Surinamenſibus frequentem, niſi eam *Ill.* CARTHEVSERUS (*a*) nomine Aſtheniae ſimpli-

(*a*) Cf. EIUS *libellus de morbis endemiis* p. 73. ſeq.

cis deſcripſiſſet atque ad endemios *Hungariae*, *Guianae* atque *Virginiae* morbos retuliſſet. Vix vero haec affectio memorabilis videtur, cum & minime periculoſa ſit, & in *Germania* quando ſyrius regnat, ſubinde etiam notetur. Affectio haec, quam non ſatis accurate deſcripſit *Ill.* CARTHEVSERUS ita ſe habet. Aegri maximam in toto corpore potiſſimum in artubus debilitatem ſentiunt, hinc motum omnem corporis & labores detrectantes uniceque otio & quieti indulgentes, permagno deſiderio dormiendi tenentur. Tanta interdum haec debilitas eſt, ut manum aut pedem aegerrime moveant, vix interrogati reſpondeant & ſub motu aut loquendi niſu in animi deliquia incidere videantur. Habitus corporis ſub iſta affectione tumidus eſt, facies rubet, vaſa ſanguine turgida, praeſertim temporales arteriae fortiter pulſant, tametſi, uti & *Ill.* CARTHEVSERUS (*a*) notavit, pulſus a naturali parum recedat. In iſtis qui ſomno tunc indulgent, debilitas increſcit, in his vero qui qualicumque motu corporis aut labore torporem hunc excutere annituntur, minuitur. Quando adveſperaſcit i. e. quando ſolis aeſtus remittit, aegri refocillantur.

O 2

(*a*) *L. c.* p. 75.

In advenis haec affectio frequentius occurrit, quam in colonis *Surinamenſibus*. Cauſſa ſine dubio eſt, quoniam advenae ditiores ſanguine ſunt quam indigenae. Inde & iſti qui vino aut ſpirituoſis potulentis abutuntur, aut otium ſomnumque amant, facilius hac corripiuntur. Deinde & magis ad hoc malum proni, quibus habitus corporis ſpongioſior eſt, quod ex mea ſententia inde derivandum, quod prae caeteris ſenſiles ſunt & vaſa ſanguifera minus reſiſtentia, turgeſcentiam ſanguinis facilius admittunt. Iſti enim quorum corporis habitus ſiccior ſtrictiorque eſt, in iſtis regionibus diriſſimis capitis doloribus magis expoſiti ſunt.

Origines mali huius procul dubio a nimio ſolis aeſtu deducendae. Nam omnis calor vim ſyſtematis nervoſi infringit & debilitat; deinde maſſam humorum expandit, & circulum eorum auget, hinc in plethoricis praeſertim vires valde deprimuntur. Accedit in iſtis regionibus, quod a ſolis aeſtu & maior bilis copia generetur, & corrumpatur ideoque facile in primis viis ſordes naſcantur, magnam uti notum eſt debilitatem corporis inducentes.

Facilis fuit in omnibus eius curatio; plethoricos V. Stio iuvit, alios purgans lene; in omnibus potus ſubacidus temperans ſub iuſta diaeta, uti & pediluvia tepida profuere & malum profligarunt.

DE HAEMORRHAGIIS
praeſertim de haemoptyſi.

Miror me in iſtis calidis regionibus rarius haemorrhagias obſervaſſe, excepta haemoptyſi. Cum enim calor omnis corporis humani humores rarefaciat & diſſolvat, mirum omnino videri poteſt, quare non aeſtus atmoſphaerae ibi plures haemorrhagiarum ſpecies concitet. Narium haemorrhagiam quandoque in febribus criticam, in putridis tamen frequentem & exitioſam obſervavi. Menſtrua profuſa aut haemorrhoides non occurrerunt. Sola haemoptyſis frequens fuit morbus; & hanc ipſam non activis ut aiunt, ſed paſſivis adnumerarem. Oritur hoc malum poſt catarrhos praegreſſos frequentes. Catarrhi enim ſub caelo iſto calido admodum frequentes ſunt, quod aeſtum diurnum ſubito nocturnum frigus excipit & hoc iterum, qui a redeunte Phoebo excitatur, calor matutinus. Namque a frigore aeſtum ſubſequente materia perſpirabilis in pectore ſubito figitur; tunc vero ubi calor frigus excipit, debilitas pulmonibus & connexis partibus inducitur; hinc minor perſpirabilis materiae copia expellitur. In utroque igitur caſu, catarrhi oriri debent. In iſtis terris vero catarrhi valde pertinaces ſunt & diuturni, quod partim a dicta cauſſa perdurante, partim a ſordibus, quibus primae viae ſaepius

ibi infeſtantur, deduco. In *India* orientali perinde in ſimili tempeſtate catarrhos aeque frequentes & diuturnos notavit BONTIUS, eoſdem a tempeſtate humida & calida derivans. Is enim quoniam aëris conſtitutio, inquit, hic calida & humida, ſaepe fit ut acribus catarrhis caput oneretur, unde hic etiam gravedines tam frequentes & ſaepe diuturniores quam in patria oriuntur (*a*). His catarrhis pulmones magnopere debilitantur & ſero forſan acri corruduntur, ut inde & phthiſes pituitoſae, quales deſcripſit *Ill. Eques aurat.* MURRAY, Praeceptor pie venerandus (*b*), & praeſertim haemoptyſes ſaepius in terris *Surinamenſibus* excitentur. Fortaſſis ad excitandam haemoptöen e catarrhis non parum confert, quod catarrhi ibi calida maximam partem medicina oppugnantur. Praemiſſis enim nitroſis & abſorbentibus, ſtatim exhibere ſolent mixturam ſimplicem ſine camphora, Eſſ. Alexiphar. ſpiritum nitri dulcem &c. Acceleratur ſine dubio hic morbus venere immodica, quam uti ſupra retuli, Surinamenſes & advenientes praeſertim cum nigritis puellis exercent, quemadmodum etiam abuſu

---

(*a*) Cf. EIUS *hiſt. Nat. & Medic. Indiae Orientalis* pag. 27.

(*b*) Cf. *Sylloge opuſculor. Illuſt.* BALDINGERI, Praeceptoris pie colendi, Vol. V. p. 316.

ſpirituoſorum in iſtis terris & ſordibus bilioſis, congeſtiones ſanguinis verſus pulmones efficientibus. Natam haemoptyſin tuſſis & oppreſſio pectoris a ſanguine in pulmonibus collecto indicant. Rara & modo in valde ſenſilibus aut in quibus nimia ſanguinis copia per haemoptyſin ſeceſſit; notavi ſymptomata ſpaſtica, quae alias haemoptyſes activas comitari ſolent, ſcilicet tremorem & frigus extremorum, animi deliquia, palpitationem cordis, lotium aqueum, parcum cum crebra mictione & ſimilia. Nec tuſſis & ſic crebra, valde ſpaſtica exiſtit. Inde ab haemoptyſi ipſa neminem trucidatum, multos vero ex inſequente febre e lentarum genere perire vidi.

Oleum Vitrioli aqua dilutum, acida alia vegetabilia, temperantia e ſalium neutrorum claſſe petita, aqua ſelterana cum lacte caprillo, Cort. peruvianus, venae ſectiones parvae, quod magnas in penuria ſanguinis non ferrent, pediluvia tepida, enemata lenientia, remedia & auxilia erant, quae morbo huic opponebantur.

DE VENA MEDINENSI ſive Dracunculo.

Hic morbus qui in *Europa* oppido rarus eſt, frequenter in terris Surinamenſibus occurrit. Vix quidem memini me vidiſſe eum in incolis Surina-

menſibus, ſed quotieſcumque eum vidi, ſemper in nigritis *ex Africa* advectis notavi. Saepius vero curavi hanc affectionem, hinc certiora quaedam afferre poſſum, & magis definita, quam qui optime de hoc morbo meo quidem iudicio ſcripſit *Celeb.* GALLANDAT (*a*).

Meum quidem non eſſe duco, fuſe probare, venam medinenſem animal eſſe organicum, quod negarunt quidam; nam & hoc demonſtravit *Celeb.* GALLANDAT, & paucis aſſerere poſſum, me omnia ea in vena medinenſi obſervaſſe, quae animali organico propria tribuantur. Placet potius ea, quae reſpectu ſymptomatum & curationis a modo nominato auctore ex parte praetermiſſa ſunt, paucis tradere.

Qui hoc morbo corripiuntur, emarceſcunt ſine ulla manifeſta vel apparente cauſſa. Nulla interim notatur functionum laeſio, niſi quod quieti ſomnoque magis dediti ſint aegri, quam antea. Tandem tuſſis accedit, quae hecticam mentitur, ſicca & continuo affligens, nihil vero damni, nec conſumtionem corporis phthiſicam inferens, quod bene norunt medentes in iſtis regionibus, ut hinc validis morbum remediis oppugnare non dubitent. Denique in parte qua-

(*a*) Cf. *Nova Acta Naturae Curioſ.* T. V. pag. 104. ſeq.

dam corporis, praeſertim cruribus, brachiis, ſcroto, pedum & manuum extremitatibus gravitas quaedam & mox dolor ſentitur; pars affecta intumeſcit & paullulum calet. Ibi tunc puſtula ſive veſicula partim humore limpido, partim ſanguinolento aut fuſci coloris referta, notatur, quae ſi aperitur, foraminulum iam in cute ſubiacente, in maius cavum abiens, apparet, neque tamen animal hucuſque conſpici poteſt. Pars haec epidermide orbata, perquam ſimilis eſt parti gangraena affectae, ubi epidermis ſecedit, vel etiam anthraci aut carboni, in quibus epidermide ſublata, cutis foraminulis perforata reperitur. Poſtero die vel etiam tardius vermis ſua ſponte exit. Nunquam autem animadverti hoc animal ſive tunc, ſive poſtea in hoc cavum retrogreſſum eſſe. Vermis iſte ex toto coloris ſplendentis albidi & quaſi diaphani & praeterea laevis eſt. Craſſities eius differt modo minor, modo maior eſt; vix vero lineam excedit vel chordam tertiam fidium (*Violin Sayte*). Quotieſcunque hoc animal digitis prehendi, pulſationem quandam levem ſenſi, diſtinguere vero non potui, num haec ſenſatio a pulſatione arteriarum in apice digitorum, vel a pulſatione in verme, vel motu eius vermiculari penderet; me tamen ſemper hanc pulſationem percepiſſe, certum eſt. Prominens vermis arreptus ſpatula li-

gnea circumvolvitur, & ſenſim volvendo ſub digitis ſpatulam, totus extrahitur. Interdum accidit, ut extractio vermis non bene ſuccedat, hoc eſt, ut vel alicubi reſiſtat trahentibus digitis, vel nimis vehementer aut rapide attractus, rumpatur vermis. In utroque caſu pars incipit inflammari, tumet & valde dolet; quodſi iſta comprimitur digitis, ichor vel ſanies effluit; praeterlapſis vero duobus vel tribus diebus pus idemque laudabile exprimitur & deinde mox ocyus mox ſerius huius vermis reliquiae cum multa ſanie vel ſemel & ſimul vel ſenſim ſenſimque exeunt. Quandoque tamen magis difficilis eſt reliquiarum extractio. Fieri enim ſolet, ut in remota a loco, ubi primum vermis exiit, parte vermis remaneat; quod a nido fortaſſis vermis magis vel minus diſſito pendet. Tunc in loco ubi fluctuatio percipitur, aperiendus eſt tumor, & relictae vermis partes vel ſanie effluxa vel ſtatim inciſa carne cum ſanie excernuntur. Rariſſime tamen cum prima effluente ſanie hae reſiduae partes eliminantur. Extracto hoc animante ſimplex digeſtivum vulneri haud difficile medetur.

Quod longitudinem vermis huius attinet, binas treſve ulnas nunquam exceſſit. Neque tamen eos ſive gyros eorum ſub cute ipſa perſpicere potui, (quod nonnulli auctores ſe vidiſſe

contendunt) quanquam unus ex aegrotis curae meae traditis plane his vermibus refertus eſſet. Is enim in omnibus, praeter caput, thoracem & abdomen partibus dracunculos alebat. Numquam porro notavi, pus bonum prima laborantis partis apertura facta effluxiſſe, ſed ſanies ſemper aut ichor prodibat. Sic etiam auctores multi tradunt, in loco, ubi primum vermis exit, ingentem tumorem inflammatorium oriri, quod quoniam parvus modo & quaſi ſuperficialis eſt, veritati non conſentaneum eſt. Deinde & multi, inter quos etiam *Celeb.* GALLANDAT eſt, aſſerunt, ingentia ſi rumpatur vermis & mortem inferentia ſymptomata oriri, quod omnino a veritate abhorret. Nam ipſe ſaepius notavi, vermes ruptos eſſe, ſine ullo aegrorum damno; dolor quidem tunc ſentitur vehementior, pars etiam affecta inflammatur, ſed impoſitis cataplaſmatibus, quemadmodum in primo tumore, facile cedit inflammatio, & reliquiae vermis haud difficulter inciſo tumore ſecedunt. Nec hoc verum eſt, unicam & radicalem curationem huius morbi conſiſtere in extractione huius vermis; nam haec modo palliativa eſt. Ex toto enim profligatur morbus tunc modo, ſi mercurialia vel interne vel externe adhibentur.

Dracunculus vero in ea parte qua primum exit, craſſior eſt, in remotiori tenuior. Nunquam

tamen, ut GALLANDAT (*a*) caput vermis vel partem a reliquo verme longe diverſam detegere potui. In omni autem corporis parte notari hunc vermen, docet exemplum BAION (*b*) qui in cornea oculi, ubi cum coniunctiva connectitur, hoc animal vidit & extraxit.

Haec vero curandi hunc morbum in terris Surinamenſibus eſt methodus. Solvuntur in libris binis & dimidia vel aquae fontanae vel ſpiritus frumenti triginta grana mercurii ſublimati corroſivi, maneque & veſperi exhibetur cochlear huius ſolutionis. Quando ptyaliſmus inde oritur, propinantur pilulae balſamicae praeſertim STAHLII in tali doſi ut alvum moveant. Incredibile eſt, quam cito tunc vermes prodeant, quibus extractis, aegri convaleſcunt.

CONCLUSIO.

Non ignoro quidem, ſupereſſe morbos multos in terris calidioribus & SURINAMA obvios v. c. lepram &c. ſed eos partim non ipſe obſervavi, partim me plura ſcribere volentem temporis ad ſcribendum hunc libellum dati brevitas impedivit.

(*a*) L. c. p. 109.
(*b*) L. c. p. 324.

DISSERTATIO INAUGURALIS CHEMICO-MEDICA

D E

ACIDORUM, IMPRIMIS NITROSI

E T

MURIATICI, DULCIFICATIONE.

A U C T O R E

IOAN. FRIED. GAUSBRAND

S U B   P R A E S I D I O

I L L. C R E L L I I

Helmstadii 1782.

§. I.

QUanta ſit Chemiae in indaganda corporum natura interiori vis atque efficacia, & quantum ex illa redundet emolumenti in vitae communis negotia, non opus eſt, ut noſtro tempore multos verborum ambagibus probetur, cum nemo ſit, qui neſciat. Illa enim non ſolum modum nobis indicat, quo res tam natura quam arte productas fere omnes, in partes conſtituentes diſ-

ſolvere, ſed etiam ex harum ſic ſeparatarum nova combinatione, eandem ſubſtantiam, niſi fuerit organica, ſeu caſu quodam in certam figuram formata, reſtituere poſſumus. At enim vero nec hiſce limitibus incluſa eſt ſcientia noſtra; ſed valet etiam corpora plura ſub alia plane, eaque perfectiori facie exhibere, quam natura ipſa potis eſt; cuius modo noviſſimum idque eximium ab illuſtriſſ. S. R. I. Comite CAROLO de SICKINGEN prolatum exemplum illuſtrationis cauſſa adducere placet, qui nimirum Platinam, ſola ignis ope haud fuſilem, tamen ductilem, & ad uſus vitae communis aptam reddebat (*a*). Quin ne deſtituta quidem eſt chemia vi, nova plane corpora quaſi procreandi, quorum vix ſimile quidquam in naturae largiſſimo penu invenitur.

§. II.

Novas iſtas inter, quae ſoli Chemiae ortum debent ſubſtantias, quas *producta* vocamus, nullae vix dignae maiori attentione videntur, quam fluida illa, quae ex intimiori coniunctione acidorum fortiſſimorum cum optimo vini ſpiritu generantur. Quanta enim, quaeſo, horum acido-

(*a*) Vid. Eiuſd. *Verſuch über die Platina*; Mannh. 1782.

rum mineralium eſt acrimonia, quae guſtus organum graviſſime afficiat, quin nervos laedat, & deſtruat! nec minus optimus vini ſpiritus, iuſto maiorem in lingua excitat impreſſionem: ſed quaenam obſervas, ſi utrumque fluidum, in mutuum amplexum, ope artis deductum eſt? Habes nunc ſpiritum praeſtantiſſimum, qui omni acrimonia urente depoſita, nervis guſtui praefixis quam maxime blanditur, nec ullo modo infeſtus eſt; qui etiam olfactum mirifice reficit. At enim vero maiorem adhuc phyſici indagatoris attentionem ſibi vindicant ea producta, quae quidem ex eadem utriuſque mixtione, ſed ex diverſa partium proportione, & aliis encheireſibus adhibitis, oriuntur, & quae *Naphthas*, vel *aetheres* appellant. Qui nimirum, licet utrumque fluidum eos generans, ſigillatim cum aqua miſceri lubentiſſime ſe patiatur, tamen peracta intimiori copula eandem plane, oleorum ad inſtar, reſpuere videntur.

§. III.

Quae quidem omnia, leviter modo adumbrata ex acidis & vini ſpiritu orta producta, ita omnino ſunt comparata, ut inter plura alia exquiſitiori animadverſione digna ſint: vel, ut de me ſaltim confitear, quid res ſit, ſingularem ſemper mentis meae attentionem excitarunt. Quam-

obrem diſſertationis academicae quae a me edenda erat, ratione haud indignum putavi, de ſpiritibus acidis dulcificatis in genere, & de nitroſo & muriatico ſpeciatim, verba facere. Firmavit me in hocce conſilio non ſolum rei tractandae gravitas, ſed etiam utilitas, quam ex ea capere poteſt res medica, quae plura ex acidis dulcificatis deſumit medicamina eximia. Accedit hiſce, quod non ſolum, quae hucuſque de illis praeparatis innotuerunt, e ſcriptis collecta, in una quaſi tabula ſiſtere, ſed aliqua etiam addere queam, quae nondum publici iuris facta ſunt, atque aut a cel. PRAESIDE recentius obſervata, aut ab aliis clar. Viris illi perſcripta ſunt; quae omnia ea, qua eſt humanitate, lubentiſſime mecum communicavit PRAECEPTOR, omni honoris cultu proſequendus.

§. IV.

Acida dulcificata dicuntur, ſi aut ſimplici mixtione, (ut in naphtha praeprimis nitroſa) aut ſubſequente deſtillatione acidorum cum vini ſpiritu, hicce cum illis ita coniungatur, ut mixta plus minus iſtius acredinis perdiderint, quae illis ante mixtionem inerat. Iam a longo retro tempore chemicis iſta encheireſis nota erat, ut acida ſpiritu vinoſo temperent, eoque illis vim nocituram

çituram adimerent ; ſed neque latuit iis , quod magis adhuc mirandum , modus ex mixto & deſtillato acido vitriolico cum vini ſpiritu oleum parandi. Iam in BASILII VALENTINI operibus (*a*) veſtigia haud dubia occurrunt, illum haud fugiſſe artem , aetherem vitriolicum elaborandi ; quin ante huiuſce ſcriptoris tempora iam cognita fuiſſe videtur iſta methodus (*b*). Interea non perſpicue & diſerte tradita eſt ante VALER. CORDUM (*c*) , (non ita multo poſt initium ſaeculi decimi ſexti) ; & poſt eum aetherem paraverunt BOHNIUS, BOYLEUS, NEVTONUS, aliique (*d*). Sed ſingulari prorſus modo de hocce producto meritus eſt FROBENIUS (*e*) , qui illi perfectam

(*a*) Cf. *Eius Schluſreden* c. 8. *Widerlegung des groſſen Steins der Vralten* in opp. p. 94.

(*b*) Cf. H. T. SCHEFFERS *Chem Vorleſungen über die Salze Erdarten , &c. herauſgegeben von* T. BERGMANN p. 387.

(*c*) Vid. Eius Diſpenſator. p. 352.

(*d*) Liquor ſic dictus mineralis in frequenti uſu haberi coepit circa A. 1710. , cum certus quidam MARMEYERUS illum ſub nomine panaceae vitriolicae pararet ; qui cum FR. HOFFMANNUM ob quaſdam in hoc proceſſu emendationes in conſilium vocaret , hicce illius deſiderio ſatisfaciens , ſpiritui etiam nomen nunc conſuetum imponebat .

(*e*) Vid. Phil. Tranſact. N, 428. & Mem. de l' Acad. des Sciences de Par. A. 1739. p. 68.

puritatem conciliabat; eiuſque qualitates inveſtigabat: quo factum eſt, ut chemici nunc maiori ſtudio in illud inquirerent; quos inter eminent inprimis cl. Viri HELLOT (*a*) MACQUER (*b*) BEAVME' (*c*) CADET (*d*) MORRIS (*e*) B. TIEBOEL (*) & DEHNE (*f*).

§. V.

Optima aetherem vitriolicum parandi methodus haecce videtur. (*g*) Spiritus vini rectificatiſſimi libris duabus addatur idem pondus acidi vitriolici fortiſſimi, (quod oleum vocant) ſed ea ratione, ut quavis vice duae modo unciae, omni quarta horae parte elapſa, adiiciantur. Peracta mixtione vas, fluidum continens, ſaepe concutiatur, vel mixtum ex uno in aliud vas ſaepius decantetur. Collocata tunc retorta in catinum

---

(*a*) Cf. Mem. de l' Acad. des Sc. de Par. 1739.
(*b*) Vid. Ei. *Anfangſgr. der Chemie.* 1. Th. 219. 2. Th. 670.
(*c*) Diſſertat. ſur l' Aether à Paris 1757.
(*d*) Mem. de Par. A. 1774. (Vid. etiam *Chem. Journ.* Th. 3. p. 108.).
(*e*) Vid. in London. Medic. Obſerv. & Inquir. Vol. II. p. 176.
(*) Haarl. Maatſch. Verhandl. D. XIV. p. 131. & N. Entdek. Th. IV. S. 172.
(*f*) Cf. *Chemiſch. Journ.* Th. 3. p. 108.
(*g*) Cf. cl. MORRIS l. c.

ferreum, circumdetur arena, ad altitudinem uſque fluidi, in iſta contenti. Subſternatur ignis, iſque ſatis fortis, ut fluidum in illa mox ebulliat: (*a*) quo facto, is omnis removeatur, ut deſtillatio peragatur a calore, arenae iam impreſſo, quoad nullae amplius guttulae decidant. Si placet, operationem adhuc proſequi amplius, mutetur excipulum, & ignis de novo accendatur. Prodibunt hac ratione vapores albi, ſulphurei quid redolentes, & cum acido aquoſo ſimul tranſtillabit oleum, quod ad maximam partem fundum petit; cuique nomen eſt *olei* vini, vel *olei vitrioli dulcis*. Si materiam cum debita cautione ad ſiccitatem uſque urges, reſiduum erit maſſa velut reſinoſa, quae igni fortiori commiſſa, flammam concipit, & veri ſulphuris ad inſtar ardet, & peracta calcinatione exhibet terram calcaream & ſiliceam (*b*).

(*a*) Celeberr. BERGMANNUS quoque affirmat, ebullitionem iſtam maxime eſſe proficuam, & abſque illa vix aliquid aetheris obtineri. Vid. in SCHEFFERS *Chem. Vorleſ.* p. 382. Cf. etiam cel. GMELIN *Einleitung in die Chemie* p. 446. & alios.

(*b*) Cf. ill. BERGMANNUM l. c. p. 386.

§. VI.

Quod priori excipulo ineſt fluvidum, compoſitum eſt ex parte quadam ſpiritus vini parum mutati, & aethere vel naphtha: quae ut purior reddatur, ſuperfundatur aliquot unciis ſalis alcalini fixi, & evocetur leniſſimo calore adhibito ad dimidiam; quae nunc aquae adiecta, ei innatat, atque ita volatilis reddita eſt ut guttula efſuſa citius in auras diſpergatur, quam terram attigerit. Oleum autem vitrioli dulce, a phlegmate acido ſeparatum, ab aethere valde differre videtur: hicce enim a decem aquae partibus ſolvitur, cum flamma ardet quidem, fuliginem vero vix ullum emittens, & carbonis veſtigium nonniſi leviſſimum poſt ſe relinquens. Oleum autem aquae connubium plane reſpuit, flammam vero edit albidam fuliginoſam, velut crepitantem, qua extincta carbo remanet. Tamen ea plane evaneſcit differentia, ſecundum obſervationes cl. WIEGLEBII (*a*) ſi oleum dulce ſaepe a ſale alcalino abſtrahitur, niſi quod ei remaneat odor aliquo modo ingratus, qui in integrum hac ratione tolli nequit (*). Quod vero olei vitrioli dulcis diſcri-

(*a*) In notis ad cel. VOGEL *Lehrſätze der Chem.* p. 352. 356.

(*) Cf. etiam cl. HAGEN *Lehrbuch der Apothecker Kunſt*. p. 661.

men ab aethere; pendeat a ſola maiori acidi, cum naphtha coniuncti, copia evincit illud experimentum, quo aether, cum acido vitriolico concentrato deſtillatus, in oleum vitrioli dulce abit (*a*).

§. VII.

Quod omnium acidorum maxime corroſivum eſt, & quaevis fere corpora, quin & ipſa metalla deſtruit aut ſolvit, nitroſum nimirum, tamen a vini ſpiritu adiecto domatur, & in fluvidum fragrans, nerviſque amicum mutatur. Quodſi enim ſpiritus vinoſi optimi octo partibus inſtilletur ſpiritus nitri fumantis pars una ſucceſſive, parviſque portionibus, mixtumque praevia digeſtione aliquot dierum in loco frigido, lento igne deſtilletur; habemus in excipulo ſpiritum nitri fumantem dulcem (*b*), qui ſepoſita omni acrimonia, gratus ſapori & odori eſt, & vires exſerit medicatas egregias. Sed ex eodem quoque acido nitroſo, vinique alcohole parare licet oleum artificiale, naphtham videlicet nitroſam, cuius qui-

(*a*) Cf. cl. BEAUME' Diſſertat. l. c.
(*b*) Cf. Diſpenſatorium pharmaceuticum. Brunſvic. pag. 334.

dem indicia iam proſtant in KUNKELII ſcriptis (*a*) (etſi parandi modum taceat) : quem autem primo deſcriptum legimus in Actis academiae Pariſinae (*b* ; de quo ipſo cel. NAVIER uberius poſtea refert (*c*) . Eodem fere tempore cl. SEBASTIANI , neſciens , quid in Gallia hac in re agitetur *d*), eiuſdem inventionis gloriam ſibi paravit (*e*), quam poſtea perfecerunt plures cl. Viri, interque hos cel. BEAVMÉ, & DEHNE (*f*).

§. VIII.

Uſitatiſſima atque omnium hucuſque notarum optima methodus naphtham nitroſam praeparandi haec eſt . Retortae vitreae tubulatae , capaci excipulo bene munitae , infunduntur ſpiritus vini optimi librae duae , quibus adiicitur quavis quarta hora , ne nimia oriatur ebullitio vaſorumque diſploſio , dimidia ſpiritus nitri fumantis uncia ſucceſive, ita ut gutta guttam trudat ; quae affuſio continuanda eſt , donec guttae nitroſae ſub for-

---

(*a*) Cf. eius *kleine Schriften S.* 167.
(*b*) Vid. Mem. de Par. A. 1740.
(*c*) Ibidem A. 1742.
(*d*) Cf. VOGELII Inſtitut. chem. p. 231.
(*e*) Vid. eius Diſſertat. de nitro , eiuſque relationibus & modo cum eius acido oleum Naphthae parandi . Erford. 1746.
(*f*) Cf. *Chem. Journ.* Th. 1. S. 44. ff.

ma unionum viridium fundum petant. Quo facto omnis naphtha fluvidi ſuperficiei innatabit, cuius plus quam 21. unciae ex unciis 22. acidi, adiectis alcoholi, generantur. (*a*) Quamvis vero ad naphthae nitroſae proventum obſtetricio caloris, ut in vitriolica, opus non ſit; tamen hicce illum quoque adiuvare valet. Propoſuit hancce methodum inter nos primus cl. GE. MICH. GER. HENKEL (*b*) & inter Gallos cl. BOGVES (*c*); qui quidem acidi nitroſi, aqua valde diluti, & optimi ſpiritus vini, pares portiones, in retorta valde capaci miſcet, & applicato adhuc ampliore excipulo, leniſſimo caloris gradu deſtillat. Cuius inventionis gloriam cel. ROZIER vero cl. MITOVARDO tribuere haud dubitat, quem iam naphtham nitroſam deſtillatione parare tres annos ante cl. BOGVES, (1770) ipſe vidit; atque eundem refert acido nitri fumante uti, quod tribus alcoholis partibus affuſum, ad ebulliendum perducat, ea modo cautione, ut retortam tenui arenae ſtrato ſuperimponat, & ignem tunc penitus furno eximat: quibus encheireſibus cel. Chemici Divionenſes, MOR-

(*a*) Cf. cel. DEHNE l. c.
(*b*) Vid. eius Diſſ. de Naphth. Nitri, etiam per ignem elaboranda. Erf. 1761.
(*c*) Cf. *Samml. aus* ROZIER *Beobacht.* B. 2. S. 352.

VEAV, MARET & DURANDE, calculum ſuum adiiciunt (*a*).

§. IX.

Verum enim vero non vacat omni periculo uterque naphtham nitroſam parandi modus, quum non ſolum in ipſa praepropera partium commixtione, magis adhuc in illarúm deſtillatione, ex vehementi & reciproca acidi & alcoholis in ſe actione, extricatiſque inde vaporibus ſumme elaſticis, vaſorum diſploſio metuenda ſit; quae etiamſi avertatur, tamen ſingularem, eamque adſiduam cautionem poſcit. Quae cum ita ſint, probanda maxime eſt iſta methodus, quam excogitavit ill. BLACK, Chemiae in Academia Edinenſi Profeſſor celeberrimus (*b*). Vitro nimirum alto,

(*a*) Vid. *Anfangſgr. dèr theoret. u. practiſchen Chemiè* III. Band. S. 243.

(*b*) Hunc proceſſum publici iuris fecit primus ill. PRAECEPTOR (in *Chemiſch. Journ.* Th. I. S. 50.) poſtea cel. FISCHER (in *neueren Schriften der Churf. Bayerſchen Acad.* B. I. S. 391.); qui ex hiſce deſumtus, & repetitus exſtat im *Almanach für Apotheker und Scheidekünſtler* (I. 1781. S. 87.): eundem de novo elaboratum, deſcriptumque ſiſtit dexterrimus quidam Chemicus in *Neueſt. Entdek. der Chem.* T. V. p. 51. Ex illis vero, quae attulimus, apparet, *methodum* iſtam non *Fiſcherianam*, uti pluribus mos eſt, ſed *Blackianam* eſſe denominandam.

epiſtomio vitreo claudendo, infunduntur ſpiritus nitri fumantis unciae duae cum dimidia, cui additur ope infundibuli aquae deſtillatae uncia una cum dimidia, ea ratione, ut aqua guttatim ad parietes vitri ſenſim defluat, & ſuperficiem acidi tegat. Quo facto ſpiritus vini unciae tres eadem cautione adiiciuntur, ut aquae ſuperficiei ſupernatent. In vitro, nunc bene claudendo, 24-30. horarum ſpatio interiecto, apparet naphtha ſuperiorem mixti locum occupans; cuius quantitas ſenſim increſcit, donec omnis partium motus inteſtinus ceſſat. Separatae per infundibulum naphthae pondus quinque uncias adhuc ſuperat.

§. X.

Acidi ex ſale communi expulſi ea eſt natura, ut cum quovis corpore principium inflammabile continente in genere, & ſpeciatim cum vini ſpiritu, interiorem copulam inire haud valeat. Quodſi etiam ſpiritus ſalis Glauberianus cum octo, immo decem partibus optimi alcoholis remixtus, deſtillationi ſubiiciatur, tamen qui prodit ſpiritus, acidam naturam non penitus depoſuit, quam potius ſapore aliiſque adhuc modis luculenter demonſtrat. Maioribus adhuc difficultatibus eadem ex ratione premitur geneſis olei artificialis, ex acido muriatico & vini ſpiritu oriundi: illud

enim licet maxime concentratum & ſumans, per ſe, cum alcohole, non facili negotio, nec niſi multis encheireſibus, aetherem ſiſtit. Cl. BEAVME' (l. c.) vix quaedam eius veſtigia obſervabat, licet vaporibus utriuſque fluvidi ſibi occurrentibus, coniunctionem huius intimiorem promovere tentaret. Meliori fortuna, ſed maiori vaſorum apparatu, idem ſuſcepit cel. WOULFE (*a*), votique ſui ſe damnatum eſſe breviori via aſſerit cl. MAHS (*b*).

§. XI.

Ut has difficultates in paranda naphtha muriatica obvias ſuperarent chemici, acidum ſalis, ſolutione metallorum quorundam maxime concentratum, adhibuerunt: quem in finem cl. SEBASTIANI (*c*) antimonii quod vocant butyro, cum aequali alcoholis portione remixto, & digeſto, quam mixtionem poſtea deſtillavit, uſus eſt; (*d*)

(*a*) Philoſ. tranſact. Vol. 57.
(*b*) Analecta circa deſtillationem acidi ſalis, eiuſque naphth. Argent. 1772.
(*c*) Cf. VOGEL Inſtitut. chem. p. 234.
(*d*) Cl. WENZEL (*von d. Verwandſch. d. Körp.* S. 148.) idem antimonii butyrum in 6. partibus vini ſolvebat, cui, quum adiiceret conchas praeparatas, ſurgebat odor ſuavis vinoſus; mixtio digeſta, dein deſtillata ſiſtebat ſpiritum ſalis dul-

ſed idem dolet naphtham hanc non potuiſſe in integrum a partibus metallicis ſolutis ſeparari. Alii ſpiritum fumantem LIBAVII, qui ſtannum ſolutum & volatile redditum continet, in uſum vocarunt, quem cum duabus ſpiritus vini partibus mixtum, deſtillarunt (*a*): ſed ſapor, quem hicce aether ut plurimum edit, aliquo modo ſtypticus, indicio eſſe videtur, illum adhuc particulis metallicis eſſe refertum. Cel. de BORMES aliud metallum in eundem finem adhibuit, ſanitati minus infenſum, zincum videlicet, in acido ſalis ſolutum, cuius ope naphtham paraſſe (*b*) ſibi videtur: ſed de hacce methodo quaedam adhuc infra proferre animus eſt.

---

cem valde gratum. Videtur itaque in hoc proceſſu, aerem fixum fuiſſe medium appropriationes acidi & alcoholis. Idem expertus eſt cl. HAGEN (l. c. p. 667.) adiiciens, odorem ſpiritus dulcificati fuiſſe ſimilem illi ſpiritus nitri dulcis.

(*a*) Non liquet, qui primus ſit, cui novi in hac re conſilii honos competat: Celeb. de COURTENUAUX illud cum orbe erudito communicavit (Memoir. preſent. T. V. p. 19.) ſed cel. KRAZENSTEIN affirmat (*Freywill. Beitr. zu den Hamb. Nachricht. aus dem Reiche der Gelehrſ.* I. 1773. St. 33. S. 264. & *Wansbeck Bothe.* I. 1774. N. 28.) dexterr. MüHLENSTEDTIUM, Chemicum Hafnienſem, naphtham hanc, eamque veram, ante cel. COURTENUAUX, inveniſſe. Videtur itaque inventionis gloria utrique eſſe tribuenda.

(*b*) Cf. Memoir. preſent. T. VI. p. 612.

§. XII.

Quodſi acetum, omni qua poteſt ratione concentretur, & fumans reddatur, ope deſtillationis in mutuum amplexum cum alcohole ruere poteſt. Acetum, quod e terra ſic dicta foliata tartari, adiecto acido vitriolico, expulit, dulcificatum primus reddidit cl. SCHIFFEL (*a*): perill. vero Comes de LAVRAGAIS naphtham obtinuit, quum acetum e viridi aeris expulſum, cum pari portione ſpiritus vini mixtum, deſtillaret (*b*). Cl. WESTENDORF eandem quoque paravit, cum acidum e terra foliata tartari cryſtalliſata ope acidi vitriolici ſeparatum, & cum ſpiritus vini aequali quantitate per aliquot dies digeſtum, deſtillationi ſubiiceret: (*c*) quam quoque methodum & ipſam cel. BUCHHOLZ: (*d*) maxime probavit, variiſque modis expolivit. Alia ratione dexterrimus VOIGT (*e*) rem aggreſſus eſt, cum

---

(*a*) Diſſ. de acidis concentratis & dulcific. ſpeciatim de vegetabili fumante, & dulcif. Praeſ. I. IUNCKER. Hal. 1759.

(*b*) Vid. Journ. des Scavans 1759. Juin. p. 406.

(*c*) Diſſ. de opt. acetum concentrat. eiuſque Naphtham conficiendi ratione.

(*d*) Cf. Nova Acta phyſ. medic. Acad. Nat. Cur. T. VI. Obſ. XLVII.

(*e*) Vid. in Almanach. f. Scheidek. u. Apoth. I. 1781. S. 5.

terrae foliatae tartari librae uni ſuperfunderet miſcelam, ex acidi vitriolici unciis ſeptem, & alcoholis unciis quinque, fluvidumque ſubſtrato retortae igne evocaret (a).

§. XIII.

At enim vero acetum non ſolum e regno vegetabili eſt acidum, quod naphthae geneſi faveat. Invenit dexterr. GöTTLING (b) modum parandi ex ligni betulae acido, quod ex illo nempe ſolo igne expulſum, novaque deſtillatione purius redditum, cum ſale alcalino ſaturabat, deinde e ſale medio ope vitriolici acidi iterum excutiebat; quod nunc alcoholi commixtum, ſubſequente deſtillatione naphthae largam copiam exhibebat. Eodem cum ſucceſſu peritiſſimus WIEGLEB acidum ligni fagini in uſum trahebat. (c) Nec praetereunda eſt hoc loco naphtha oryzae, quam cel. PRAESES noſter, eadem ratione, ut de acidis

(a) Cf. etiam dexterr. WESTRUMB. *in Neueſt. Entd. d. Chem.* Th. 5. p. 91. Idem vero poſtea (in litter. ad PRAESID.) difficultatis cuiuſdam meminit, tartarum vitriol ſcilicet continuo ita exſilire, ut ſaepe deſtillationem intercipere neceſſe ſit. Suadet itaque, ut fluidum, tranſtillata prima portione aetherea, percoletur.

(b) Cf. Chemiſch. Journ. Th. II. S. 39.

(c) Handbuch der Chem. B. 2. p. 547.

lignorum retulimus, parabat, & quae aliquam cum aceti aethere ſimilitudinem habebat. (a) Acidum quod deſtillatione ſalis acetoſellae prodit, cum aequa ſpiritus vini optimi portione remixtum, adhibito leni igne deſtillatorio, naphtham quoque generat. (b) Ill. BERGMANN cryſtalliſatum acidum, repetita abſtractione ſpiritus nitri fumantis e ſaccharo evolutum, cum aequali alcoholis quantitate coquebat, fluidoque in excipulum tranſeunti adiiciebat aquam calcis; quo facto tenue innatabat aetheris ſtratum, quod vero non niſi calefactum, accendi poterat, & haud alba ſed coerulea flamma ardebat (c).

§. XIV.

Quum regno animali non deſint acida, eandem ut illa dulcificarent, viam cl. VIRI proſpero cum ſucceſſu inierunt. Quod facillimo negotio & animalibus obtineri poteſt acidum, formicarum nimirum, cel. BUCHHOLZ, cum tartari ſale ſaturabat (d), iterumque ope acidi vitriolici expel-

(a) Vid. *N. Entdeck.* Th. 3. p. 71.
(b) Cf. FR. PETR. SAVARY Diſſ. de ſale eſſent. Acetoſ. Argent. 1773. §. XI.
(c) Cf. BERGM. Opuſc. phyſ. & chem. Vol. I. pag. 286.
(d) Cf. *Neueſte Entdeck.* Th. 5. in praef.

lebat; quod praevia mixtione cum pari alcoholis portione deſtillatum naphtham ſiſtebat ſuaviſſimam, odorem nucleorum perſicorum contuſorum ſpirantem. (*a*) Quod cel. PRAESES noſter primus paraverat, acidum pinguedinis fumans, cum aequali alcoholis quantitate mixtum, digeſtumque, naphtham praegreſſa antea deſtillatione exhibebat. (*b*) Supereſt adhuc aetheris genus, cuius pars una, acidum nempe, originem ducit ex ſale quodam, quem urina continet; cuius itaque ortus a pluribus, refragantibus licet aliis, oeconomiae animali tribuitur. Deſcripſit iam dudum hanc urinae naphtham cl. WESTENDORF (l. c. §. XI.), quamvis ante cl. Virum, illam dexterr. GUNTHERUS Chemicus Hafnienſis, teſtante cel. KRATZENSTEIN, (*c*) iam paraviſſe videtur. Ille vero iſtum urinae ſalem in uſum vocabat, Glauberiano ſimilem forma externa, cuius acidum,

(*a*) Cum huius inventi notitia perveniſſet ad dexterr. VOIGT, excogitavit breviorem modum, aetherem hunc parandi (Cf. *N. Entd. i. d. Chem.* Th. 5. p. 274.) cuius ea ratio eſt (quam cel. BUCHHOLZ, Vir de re chemica optime meritus, ill. PRAESIDI perſcripſit) ut ſali medio, ex ſale tartari & formicarum acido parato, ſuperfundat miſcelam ex acido vitriolico & vini ſpiritu.

(*b*) *Chem. Journ.* Th. I. p. 93.

(*c*) Vid. *Neueſte Entdeck.* Th. I. S. 48.

ope vitriolici olei extricatum, alcoholi commixtum, & deſtillatum ſiſtebat aetherem, odore cydoniis valde ſimilem. GUNTHERUS vero, ſeparato ſale urinae nativo, reſiduum ad ſiccitatem uſque evaporabat, cui pulveriſato adiiciebat olei vitriolici tres quartas partes; eandem ſpiritus vini quantitatem committebat excipulo, retortae applicato. Prodeuntes vapores cum ſtrepitu quodam in ſpiritum tranſibant, huius quantitatem ad duas fere tertias partes adaugentes; atque ex fluvido hocce mixto, ope praegreſſae rectificationis, tres exoriebantur naphthae unciae (*a*).

§. XV.

Quum hucuſque illa acida luſtraverimus, quae combinata cum vini ſpiritu, dulcificata dicuntur, aut cum eo olea nova artificialia vel naphthas conſtituunt; non abs re eſſe cenſemus quaedam adiicere, quae ad horum geneſin explicandam aliquid facere nobis videntur. Abierunt quidam viri celeberrimi in eam ſententiam (*b*), mixtionem vini ſpiritus per adiecta acida deſtrui,

(*a*) Ibidem Th. 3. S. 40.

(*b*) Cf. ill. SPIELMANN Inſtit. Chem. p. 147. BEAVME' l. c. MACQUER *Anf. der Chem.* Th. I. S. 219. Th. 2. §. 670. Diction. de Chym. T. I. p. 461. SCHEFFER. l. c. p. 386.

ſtrui, cuius pars oleoſa, quam ille continet, ab aquoſa ſeparetur, quum acida concentrata, aquae avidiſſima, arripiant ſpiritus vini eſſentialem aquam: aetherem qualemcunque itaque nihil eſſe, niſi oleum ſpiritus vini, cuius antea admixta aqua ab acidis abrepta ſit. At enim vero adſunt multae non levis ponderis cauſſae, quae nos impediunt, quo minus in partes cl. Virorum deſcendamus. *Primo* enim aetherem non generari, niſi oleum vini ſeparetur ab aquoſa parte ob maiorem acidorum concentratorum quum hacce affinitatem, infirmari videtur a ſupra propoſita Blackiana naphtham nitri conficiendi methodo, cum acidum aqua prius ſaturetur, quam ad vini ſpiritum pertingat. *Secundo*, in quarundam naphtharum confectione ut e. gr. in aethere nitroſo, aequalem fere harum quantitatem, in aliis, ut in naphtha acidi lignorum (*a*), maiorem, obtinemus, quam erat ea, ſpiritus vini aſſumti: unde hoc, ſi aether nil niſi oleum vini ſeparatum? *Tertio*, quaevis naphtha proprio gaudet odore & ſapore: nonne hoc indicio eſt, acidum adhibitum partem ipſius naphthae conſtituere? *Quarto*, ill. PRAESES demonſtravit, ex naphthis ipſis poſſe elici idem acidum, cuius ope paratae

(*a*) Cf. cel. WIEGL. Handb. l. c.

erant ; ut hac ratione e. gr. ex aethere nitroſo prodeat acidum nitroſum, vaporibus rubris conſpicuum, ſi illi adiiciatur acidum vitriolicum (*a*).

§. XVI.

Quae cum ita ſint, a vero propius nobis videtur abeſſe ea ſententia, quae acidis vim quandam ſingularem tribuit, in partem ſpiritus vini inflammabilem, aut ſi mavis, oleoſam agendi, & cum ea abeundi in novam quandam ſubſtantiam, olei nempe aetherei genus. Explicari hac ratione poſſunt omnia iſta phaenomena, quae opinioni in §. XV. prolatae erant contraria; quod ſi ei in quivis aether compoſitus ſit ex parte acida, cum inflammabili ſpiritus vini parte coniuncta; apparet, qua ratione naphthae cuiuſvis ſapor odorque differat ab alia, quia acida non ſolum inter ſe diſcrepent, ſed etiam diverſa vi in ſpiritum vini agant; naphthae quoque quantitas maior, quam ſpiritus vini adhibiti, eſſe poteſt, quia altera pars conſtitutiva, acida nimirum, mixtionem ipſam ingrediatur. Confirmat nos quoque in noſtra hac ſententia auctoritas celeberr. Virorum, GMELINI (*b*), WEIGELII (*c*), WIEGLE-

---

(*a*) Cf. *Chemiſch. Journ.* Th. 2. p. 62.
(*b*) Cf. *Einleit. in die Chemie* p. 444.
(*c*) In notis ad Anfangſgr. d. theor. Chem. B. 3. p. 230.

BII (l. c.), HAGENII (*a*), LEONHARDI (*b*). Eandem quoque opinionem veri magna ſpecie gaudere licet nondum evicta ſit, contendunt ill. BERGMANNUS (*c*), & *Chemici Divionenſes* (l. c.): quin ipſe cel. MACQUER, derelicta, quam olim tuebatur, ſententia, (qui praeclarus veri amor in ill. Viro non ſatis celebrari poteſt) in eaſdem tranſire partes nullus dubitat (*d*).

§. XVII.

Delineavimus quidem ſummatim, quoad diſſertationis academiae ratio permittit, nunc ea, quae ad acidorum dulcificationem, a viris celeberrimis in pluribus ſcriptis hac de re editis propoſitam, pertinere nobis videntur: ſed promiſſi memores, quaedam eaque minus adhuc nota de dulcificato acido nitroſo & muriatico, inſuper adiuncturi ſumus. Animadvertimus iam in §. X., difficilem eſſe ſpiritus ſalis & alcoholis eam conſociationem, quae illius naturam occulat. Ponderatis omnibus, quae notas hucuſque methodos

(*a*) Vid. Lehrbuch der Apotheckerk. p. 658.
(*b*) Vid. eius notas ad MACQUERS Chym. Wörterb. Th. I. p. 19.
(*c*) In notis ad SCHEFFER. l. c.
(*d*) Diction. de Chym. Edit. 2. T. 2. p. 88. ſeq.

premunt, difficultatibus, in novam incidit cel. GMELINUS (cui Chemia iam multa inventa, & praeclara, debet); qui nimirum ſali communi ſuperfunderet $\frac{12}{5}$ ſpiritus vini optimi, eique adiiceret parvis portionibus $\frac{4}{5}$ olei vitrioli. Digeſtum deſtillatumque fluidum, illudque iterum a ſale alcalino abſtractum, ſiſtebat ſpiritum quidem gratiſſimi odoris, omniſque acidi expertem; cui vero ſpiritus vitrioli dulcis portio quaedam inhaerebat, uſui medico minime adverſa (*a*). Sed hiſce experimentis motus dexterrimus WESTRUMB, atque in auxilium vocatis eis, quae cel. SCHEELE de modo praeceperat, acido muriatico partem inflammabilem, ei inhaerentem, eripiendi (*b*), convertit in ſuos uſus utriuſque cel. VIRI inventa, & ſequentem proceſſum publici iuris fecit. Salis communis unciis duabus cum magneſiae vitriariorum uncia una mixtis pulveriſatiſque, ſuper-

---

(*a*) Cf. *Chem. Journ. Th.* 4. *p.* 34. Perſcripſit cl. WIEGLEB cel. PRAESIDI, illum loco ſalis communis, in eundem finem adhibuiſſe ſalem digeſtivum, eiuſque unciis octo ſuperfudiſſe alcoholis libras duas, cum ſex olei vitrioli unciis remixtas; & praevia deſtillatione obtinuiſſe egregium ſalis ſpiritum dulcem; cuius rei rationem ponit in maiore acidi vitriolici cum ſale alcalino vegetabili, quam minerali, affinitate.

(*b*) Cf. *Schwed. Acad. Abh.* I. 1774. & in N. Entdeck. Th. I. S. 128.

ſundebat miſcelam e ſpiritus vini optimi unciis tribus, & olei vitrioli uncia una: quo facto leni igne e retorta evocabat duas fluvidi, gratum odorem ſpirantis, uncias; quibus reſiduo iterum affuſis, fluidi ſuavioris adhuc unciae duae tranſibant, quas ſequebatur dimidia ſub ſtriarum pinguium forma prodiens. Contentum in excipulo fluvidum, odorem ſpiritus nitri dulcis exacte ſimulans, nullum indicium acidi puri, ſuperflui & nondum mutati ſiſtebat, affuſa vero aqua, lacteſcebat; ex qua, redeunte eius pelluciditate, oleum fundum vaſis petebat; quod a ſupernatante fluvido ſeparatum, ad naturam oleorum aethereorum accedebat, & ſapore oleo caryophyllorum ſimile erat (*a*).

§. XVIII.

Eximiae huius ſpiritus dulcificati dotes movebant ill. PRAESIDEM huius diſſertationis, ut non ſolum propriis experimentis inſtitutis, ſe ipſum certiorem redderet de proceſſu, quem dexterr. WESTRUMB propoſuerat; ſed ut idem faceret, ſuadebat peritiſſimo cuidam Chemico (*b*).

(*a*) Vid. in *N. Entdeck.* Th. 4. p. 58. ſeq.

(*b*) Peritiſſ. ILSEMANNUS quoque in litteris ad PRAESIDEM noſtrum datis, de felici proceſſus repetiti eventu refert.

De veritate huius rei plane convictus ill. VIR nunc inveſtigabat qualitates huius ſpiritus, an partes nimirum iſtius metallicae ſubſtantiae, quam ill. BERGMANN *Magneſium* vocat, contineat, & in uſus medicos, abſque omni aegris inde eminenti periculo adhiberi queat? Spiritum itaque dulcem e retorta munda evocabat, qui totus quantus, abſque reſiduo relicto, in excipulum tranſibat. Admixtus ſpiritui noſtro ſal tartari, nihil ex illo, digeſtione duorum dierum licet adhibita, exturbabat. Spiritus ſalis ammoniaci cum ſale alcalino fixo paratus, digeſtuſque cum noſtro ſpiritu dulcificato, nec deiiciebat aliquid ex illo, nec colorem cyaneum acquirebat, quo tamen indutus abſque dubio fuiſſet, ſi ille cupri quid in miſcela ſua recondidiſſet. Infuſum vegetabilium adſtringentium, quod admixtum ſolutis ſubſtantiis quibuſvis, minimum ferri veſtigium ſemper colore obſcuriori indicat, ſpiritui noſtro admixtum, nullo modo eius colorem mutabat; qui vero digeſtus cum lapide ſic dicto haematite, (cuius granum unum uncia illius dimidia ſolvebat), eidem infuſo admixtus, nunc protinus colorem e violaceo rubrum induebat. Convictus itaque cel. VIR, nihil ineſſe heterogenei huic ſpiritui, atque ſibi perſuadens, ob intimius illius cum alcohole connubium, maiores ab eo eſſe exſpectandas vires, quam a ſpiritu ſalis dulci vulgari;

primo in ſe ipſo periculum inſtituens, guttas 20. ad 60. deglutiebat eodem cum effectu, quam ſi eandem ſpiritus nitri dulcis quantitatem ſumſiſſet. Qua re fretus nunc aegrotis pluribus eum ſpiritum praeſcribebat, qui eundem edebat effectum, quem a ſpiritu nitri dulci exſpectare fas erat. Dext. WESTRUMB Praeſidem noſtrum certiorem quoque faciebat (*a*), illum iam a pluribus medicis ſalutari cum eventu aegrotis exhiberi (*).

§. XIX.

Aetheris muriatici elaborationem ſequenti modo inſtituere iuſſit perill. de BORMES (*b*). In

(*a*) In litteris ad eum datis.

(*) Addere placet quaedam experimenta ill. PRAESIDIS cum oleo illo aethereo, aqua graviori, ex ſpiritu noſtro dulci extricato. Illius partes duae ab una ſpiritus vini ſolvebantur, quod affuſa aqua, mixtionem lacteam reddente, iterum illum deſerebat. Olei pars una a 4. ſpiritus ſalis partibus abſumebatur, quod nec adiectione aquae, nec alcoholis, ab illo ſeparabatur: additus tartari ſal mixtionem turbabat, illiuſque maior adhuc pars materiam ſaponaceam fundum petentem producebat. Spiritus ſalis ammoniaci 4. partes, non ſufficiebant uni olei diſſolvendae; cuius ſolutio lactea evadebat, aquae, ſed minime ſpiritus ſalis, affuſione.

(*b*) Mem, de l'Acad, Roy, preſent, T, VI, p. 612.

12. libris ſalis ſpiritus diſſolvuntur florum zinci; quantum licet; & omni fluvido, ad unam quartam uſque partem abſtracto, affunduntur reſiduo alccholis 6. librae; quae omnia per 8. dies digeſta, atque tunc filtrata, deſtillantur leni, gradatim augendo, igne. Tranſit hac ratione ſpiritus vini aſſumti dimidia; quem ſequitur fluvidum ſub ſtriarum pinguium ſpecie, novo excipulo applicato colligendum; quocum ſub finem tranſit oleum dulce, eſſentiae citri colorem referens, & aetheri innatans, ope infundibuli poſtea ſeparandum, quod ad olea aetherea & ſapore, odoreque, & ſubtilitate accedit. Aether leniſſimo ignis gradu e retorta iterum evocetur, & reſidua ſpiritus vini portio de novo affundatur ei parti, quae a prima operatione in retorta remanebat; cuius deſtillatio repetatur, donec totus in aetherem, & oleum dulce tranſeat. Dexterr. GUNTHERUS (*a*) zincum ipſum in fruſtula diffractum, in ſalis acido diſſolvere ſuadet, eaque breviori via aetherem muriaticum paraviſſe contendit. Peritiſſimus vero WETRUMB (*b*) affirmat, ſe plus una vice methodum perill. de BORMES proſequutum eſſe; illum vero, licet ſpiritum fragrantem dulcificatum decies ſupra reſiduo zinceo abſtraxiſſet, nihil

(*a*) In litteris ad PRAESIDEM noſtrum.
(*b*) In litt. ad PRAES.

aetheris obtinuiſſe; ſed modo olei flavi aquae ſupernatantis, (& minus ſuavis illo ope *Magneſiae* parato §. XVII.) duos ſcrupulos, ex communis acidi ſalis 3. libris, zinceorum florum 6. unciis, & 2. libris alcoholis impetraſſe. Idem refert, ſpiritum ſalis dulcem a ſe propoſitum (§. XVII.), elaborari quoque poſſe ea ratione; ut Magneſiae pulveriſatae 3. unciis, in ſpiritus ſalis fumantis 8. 9. unciis ſolutis, praevia evaporatione, addantur 12. alcoholis unciae, & deſtillentur. Addit, terram e Magneſia extricatam (*a*), continuas velut exploſiones excitare adeo vehementes, ut ſaepius retorta ex arena circumdante elevetur: cui incommodo ut obveniatur, tranſtillata prima & maxime odorata ſpiritus dulcis portione, terra per filtrum ſeparetur; quo facto ulterius pergatur in deſtillatione, quae quo magis verſus finem properat. eo ſaturatior oleo iſto aethereo eſt ſpiritus, ea ratione, ut ex ultimis duabus ſpiritus unciis eliciantur, aquae adiectae ope, olei 2. ſcrupuli, aut drach. 1.; ſed nullo unquam modo aetherem hac occaſione obtinuit. Nec meliori fortuna, dexterr. TIELEBEIN, chemicus Suerinenſis, uſus eſt (*b*), cum methodum a cl.

(*a*) Cf. cel. SCHEELE *in K. Schwed. Ac. Abhandl.* 1774. p. 89. ſeqq. & *N. Entd.* Th. 4. p. 124. N. 4.
(*b*) Uti refert in litteris ad ill. PRAESIDEM.

MAHS (l. c.) propoſitam , proſequeretur ; cui quoque naphtha , ope butyri antimonii parata , ab huic admixto acido vitriolico originem trahere videtur .

§. XX.

Egregius iſte ſpiritum ſalis dulcem parandi modus (§. XVII.) ita arriſit ill. PRAESIDI , ut ſimilem in elaboratione ſpiritus nitri dulcis tentaret . Miſcebat itaque nitri depurati unc. iv. & Magneſiae Vitr. unc. ij. in pulverem redactas , quibus ſuperfundebat miſcelam ex alcoholis unc. vj. & olei vitrioli unc. ij. Leni igne adhibito placide procedebat deſtillatio , & omni fluvido ad reſidui albi perfectam ſiccitatem abſtracto , prodierant ſpiritus dulcis unc. v. , drach. vj. , qui aromatico & ſuaviori ſapore , quam ille methodo conſueta paratus , gaudebat , nec ullum acidi ſenſum linguae imprimebat . Aqua illi affuſa protinus naphtham flavidam (*) ſuperficiem occupantem extricabat , cuius ſapor aetherem communem nitroſum , puritate & ſuavitate mirum quantum ſuperabat ; ſpiritus unc. j. eiuſmodi ſcrupulum unum recondebat . Sal tartari ſpiritui , aethere iam orbo , adiectus , leviter quidem efferveſcens ,

(*) Aether ex ultima ſpiritus uncia ſeſqui altera ſeparatus albidioris coloris erat .

nihil huius extricare amplius valebat. -- Non eget multa commendatione haec ſpiritum nitri & ſalis dulcem conficiendi methodus, quae conſuetae palmam facillimo negotio praeripit, quum hanc non ſolum qualitatibus ſpiritus inſitis ſuperet, ſed & operoſi taedioque pleni laboris, ſpiritus nitri & ſalis acidos antea parandi, non indigeat.

§. XXI.

Aetherem nitroſum, de quo iam locuti ſumus, e noſtro ſpiritu nitri dulci extricandi modus valde ſingularis, non quaeſtuoſus quidem, videtur; licet illius confectionem, ob eximias eius dotes, pharmacopolis quoque commendaremus: apponemus itaque quaſdam naphtham hancce conficiendi methodos, minus adhuc notas. Prima, auctore dexterr. TIELEBEIN (*a*), haec eſt. Lagena rotunda vitrea unc. xij. alcoholis continens, & vitrum unc. ix. ſpiritus nitri plenum, utrumque per 2-3. horas nive obruitur, eaque autem deficiente, aquae, ſale ammoniaco, nitro & aceto refertae, imponitur. Quo facto una vice acidum nitroſum alcoholi affunditur, & lagena epiſtomio ſubereo exacte claudente, funi-

---

(*a*) Methodum deſcribit in litteris ad PRAESIDEM noſtrum.

culis adhuc ſirmato, obturatur. Oritur hinc quidem ſtrepitus aliquis, in vaſis fundo, nunquam vero calor ſenſibilis; illudque concuſſum per horam & ultra adhuc nive tegitur; poſtea in locum temperatum, & horis aliquot elapſis, in conclave calefactum defertur; qua ratione aether craſtina luce, (mixtione vero frigido loco detenta, die ſecundo vel tertio) genitus eſt. Qui vero una cum ſpiritu, retortae parvae infuſus, (adaptato excipulo, aquae deſtillatae unc. ij. continente,) leni igne adhibito, fundit naphthae ſuavis, colorem ſtramineum referentis unc. ix.; cuius reſiduo adiectae alcoholis unc. iij. exhibent adhuc naphthae *albae* unc. j. & ſem. - II.; eaque quanta optima eſt, ſubtiliſſima, omniſque acidi admixti expers; iſque rectificationis modus minori iacturae obnoxius eſt, quam ſi acidi abſorbendi gratia ſal alcalinus adiiceretur. Aqua praepoſita, deſtillata iterum, ſiſtit adhuc ſpiritus nitri dulcis unc. ij. & ſem.

§. XXII.

Simplex utique videtur haecce methodus; quae autem cautum & expertum artificem requirit; ſimpliciori vero ante duos fere annos uti cel. PRAESIDEM noſtrum vidimus. Nitri depurati unc. iv. ſuperfundebat miſcelam, ex olei vitrioli unc. ij. & alcoholis unc. iij. & ſem. l. a.

confectam; qua addita nec oriebantur protinus vapores rubri, nec calor, nec motus inteſtini ſigna: elapſa vero vix hora in excipulo obſervabat ill. VIR naphthae optimae unc. ſem., abſque omni calore externo adhibito tranſtillatam; quum autem fruſtra exſpectaſſet maiorem aetheris abſque igne proventum, retortam collocabat in arenam, fornaci ad conclave calefaciendum adaptato, ſuperpoſitam, cui cum vix per octavam horae partem incumberet, magnus exoriebatur in miſcela calor, ingenſque effervefcentia, ut PRAESES retortam e furno removere cogeretur; quo non obſtante deſtillatio per aliquod temporis ſpatium adhuc continuabat; qua vero finita, ſedatiſque turbis, eidem fornaci illam iterum imponebat; quo quidem leni calore expulſi ſpiritus, naphthae, ope aquae ſeparatae, drach. x. exhibebant. Reſiduo effuſis alcoholis unc. iij., prodibant ſpiritus nitri dulcis unc. ij. & ſem., tunc acidum aquoſum, & tandem, adaucto igne, fortius vaporibuſque rubris conſpicuum (*a*).

§. XXIII.

Quodſi haecce modo propoſita methodus plauſu tuo indigna haud videatur, L. B., maiori adhuc ornabis ſequentem, & magis quaeſtuoſam,

(*a*) Similem huic methodum poſtea legimus deſcriptum in *Taſchenbuch* für Scheidek. I. 1781. S. 39.

& quam fieri poteſt, ſimpliciſſimam. Nitri depurati ſicciſſimi & pulveriſati drach. iij. immitte retortae calefactae, & dein adde olei vitrioli optimi unc. j. & ſem. ope infundibuli, pertingentis ultra retortae collum; cui protinus applica excipulum alcoholis unc. ij. & ſem. continens, & luto commiſſuras vaſorum exacte claude. Ignis ſenſim augendus mox expellet vapores rubros, qui facilius coercendi, & in guttas condenſati, alcoholem cum ſtrepitu quodam intrant, qui plus minus per integrum fere proceſſum percipitur: cuius finem verſus, maximus ad expellendum nitri acidum requiſitus ignis gradus adhibeatur. Peracto labore invenies in excipulo unciam circiter naphthae ſeſquialteram, quam ſeparatam ope admixti ſalis alcalini aut depurabis; aut illam una cum ſpiritu iterum e retorta evocabis (§. XXI.).

§. XXIV.

Quamvis plurima acida, ut ex tota hacce diſſertatione colligere licet, interius connubium ineant cum vini ſpiritu, ſuperſunt tamen quaedam, quae illud plane reſpuere videntur, & omnibus hucuſque notis chemicorum hac in re artificiis reſiſtunt. Habemus huius generis acida in regno minerali; ut e. gr. acidum arſenici (*a*),

(*a*) Cf. cel. SCHEELE in K. Vet. Acad. Handl. 1775. *S.* 263. & *N. Entd.* Th. 3. p. 131.

fluoris; Salem ſuccini, & ſedativum: in regno vegetabili acidum tartari, cuius coniunctionem ut efficerent, multi clar. deſudarunt VIRI inprimis cl. BERTHOLET (*a*) & Chemici Divionenſes (*b*) dext. GöTTLING (*c*) WESTRUMB (*d*) HERMBSTAEDT (*e*) aliique (*f*). De citri acido dulcificando nulla adhuc proſtant experimenta: Ill. vero PRAESES noſter ſuccum citri deſtillatum, admixtione ſalis alcalini, in ſal medium convertebat, eique adiiciebat vini ſpiritum, cum dimidia olei vitriolici coniunctum; quae quidem mixtio fundebat ſuaviſſimum ſpirtum citri dulcem, qui adiecto ſale alcalino ſoluto, dimittebat olei portionem fluvido graviorem. -- Acidum de-

(*a*) Vid. in ROZIER Obſerv. A. 1776. Fevr. N. 6.

(*b*) Cf. Anf. der theor. & pract. Chem. V. MORVEAV. &c. Th. 3. p. 247.

(*c*) Vid. in Taſchenb. I. 1780.; obtinuit tamen ſpiritum tartari dulcem.

(*d*) N. Entdeck. Th. 5. S. 92.

(*e*) Ibid. p. 94.; qui poſtea adhuc uberius de hac re retulit ad ill. PRAES. in litter.

(*f*) In tranſitu notamus, cel. PRAESIDEM ſpiritum tartari ſaturaſſe ſale alcalino fixo, atque huic ſali, cum dimidia magneſiae vitr. remixto, adfuiſſe ſic dictam RABELII aquam: eumque peracta deſtillatione obtinuiſſe ſpiritum dulcificatum gratum, ex quo ſuper reſiduo iterum abſtracto, tartari ſal ſolutus extricabat olei quidpiam, quod partim fluidi ſuperficiem, partim fundum occupabat: attamen cel. VIR. unico nunquam fidens experimento, adhuc dubitat certi quid hac in re pronuntiare.

nique Phoſphori, ex huius deflagratione ortum, cum ſpiritu vini quidem aliquo modo coit; ſed naphthae dotibus plurimis adhuc caret (a).

§. XXV.

Coronidis loco pauca apponamus de acidorum dulcificatorum vi medica in genere. Analeptica gaudent virtute, fortique & citiſſimo, eoque grato ſtimulo fibram muſcularem irritant, & aliquo modo roborant, motum fluvidi nervei, quin & ipſius ſanguinis adaugent, & hac ratione corpus veluti exſiccare, videntur. Profunt in imminuta fibrae muſcularis irritabilitate; in ſpaſmis, ab hac cauſſa, & aquoſa nimis humorum indole pendentibus; in ſuppreſſis excretionibus, & praeprimis in illis, quae in cute & renibus fiunt. Nocent in morbis inflammatoriis & atrabiliariis, & qui cum corporis ſiccitate nimia coniuncti ſunt. Quae quidem hucuſque prolata licet minime exhauriant omnia, quae de viribus acidorum dulcificatorum praedicari iure poſſint: tamen vela contrahere nos iubet temporis, & quibus circumſcripta eſt diſſertatio academica, limitum anguſtia.

10.

(a) Cf. *Anfangſgr.* &c. V. MORVEAV Th. 3. S. 250.

IO. GABRIELIS ZIMMERMANN
RUSSO-MOSCOVIENSIS
DISSERTATIO
DE
SCARLATINA
IN ANNIS 1775. & 1776.
EPIDEMICA:

PRAESIDE ET AUCTORE

FRANC. SCHOENMEZEL.

Heidelberg. 1779.

QUod ſi certam atque indubitatam cuiuslibet morbi hiſtoriam haberemus, haud leve commodum Medicinae accederet, ſiquidem non modo aegritudinum genera atque ſpecies inde facillime innoteſcerent, verum etiam convenientiſſima cuilibet morbo curandi methodus ſtabiliri poſſet: eſt enim in arte medica dolendum maxime, quod idem ſaepius morbus a diverſis auctoribus ſub

diverſo & diverſus ſaepe ſub eodem pertractetur nomine, quo, ſi quis iunior Medicus de morbo auctores conſulere ſtatuit, (quis enim per vitam omnium morborum propriam habeat experientiam) quo illum inveniat, vel inutilem impendit operam, vel nomine deceptus inconvenientem adhibet therapiam.

Neque, eundem ſaepius morbum, pro diverſitate ſpeciei, diverſo modo tractandum negari nequit, aliter profecto levior ſcarlatina, aliter ſcarlatina cynanches, aliter ſcarlatina cauſodes pertractanda veniunt, ſiquidem in qualibet ſpecie peculiares indicationes attendendae, quarum neglectus morbum medico rebellem magis ſiſtit, atque aegrotum graviori exponit periculo; aſt hiſtoriam quis tradat, quis genera & ſpecies deſignet morborum, niſi ſingulorum obſervationes habeantur. Medicis ſane practicis, ſiquid ſtabile in commune bonum contribuere velint, haec ſparta obtingeret. Ut noſtrum quomodocunque conferamus modulum, ſcarlatinae in annis 75 & 76 apud noſtros graſſantis, hiſtoriam publico tradere ſtatuimus.

Ordinem autem ab anni 75 conſtitutione faciamus, quippe atmoſphaeram in procreandis epidemiis haud parum conferre, ferme omnes practici obſervavere, qui quoque ante ſcarlatinam, & cum illa morbi graſſaverint, cum epidemiae a prae-

cedentium morborum genio tenere ſoleant, unde regulas quaſdam theurapeuticas deſumi poſſe videtur, paucis mentionem faciamus.

Initium Ianuarii anni ſeptuageſimi quinti, humidum & apricum & caelo plerumque nubilo fuit, quae enim nix 1ma & ſexta decidit inſequentibus diebus mox ſoluta eſt & octava & decima pluvia decidit. Statio thermometri meridiana fuit ſex ſupra o. A decima quinta ad vigeſimam tertiam tempeſtas fuit frigida & variabilis, his enim diebus ſtatio thermometri media fuit quatuor infra o. & quae nix una die decidebat, mox altera ſolvebatur, hac die thermometrum ſubito ad 9 ſupra o. aſcendit, & reliquum menſis apricum tantum fuit ſtante thermometro 11 ſupra o. ventus huius menſis praecipuus fuit W. & S. W. morbi huius menſis ſynochae bilioſae & dolores vagi fuere.

Aura per Februarium admodum fuit temperata, atque initio humida, cum omnes dies fuere nebuloſae, atque 3tia, 4ta, undecima, & duodecima pluviae decidere. Ventus ad decimam quintam fuit ex occidente, reliquo menſe omni ferme die ad meridiem ſol apparuit. Vigeſima ſtatio thermometri fuit 20 ſupra o. media autem per totum menſem 13 ſupra o. plures hoc menſe rheumatiſmis vexabantur, ſanguis detractus eſt phlogiſticus.

Temperata hac tempeſtate prima Martii iam violae florent atque quinta pomeridie tonitru cum grandine habuimus, decima ſeptima perſicae floreſcunt, trigeſima de nocte nix vicinis in montibus decidit, quae autem altera die redeunte ſole brevi ſolvitur, hoc menſe ventus praecipuus fuit ex occidente, duodecima, & vigeſima quinta auſtrum habuimus vehementiſſimum, ſexta, ſeptima, vigeſima prima, & nona pluvia decidit. Statio thermometri media toto menſe 13 ſupra o., plures ſynochis rheumaticis afficiuntur, dolor in his admodum mobilis, facillime ex una in aliam partem migrat, ſanguis e vena ductus inflammatorius eſt, nauſea & oris amarities adſunt, atque per vomitoria multum bilis educitur, plurimi infantes catarrho & coryza vexantur, quibus omnibus veſperi febricula accedit, omnibus his appetitus eſt proſtratus, & foetor faucium, per vomitoria, a quibus copioſa bilis educitur, brevi convaleſcunt. Circa vigeſimam quintam febres tertianae in viciniis frequentius occurrunt.

Humida & variabilis tempeſtas a fine Martii ad quintam Aprilis durat, inde ad decimam quintam ſerena, a decima ſeptima ad vigeſimam quartam pluvioſa denuo fit, reliquum menſis & ſerenum & calidiſſimum eſt. Statio media thermometri ad vigeſimam quartam 17 ſ. o. eſt, inde ad finem 23. ſ. o. iam vigeſima arbores fructiferae omnes flo-

ribus tectae videntur, hacque die lucinia noſtris primum audita eſt. Silvae in montium vertice vigeſima octava vireſcunt; humidis diebus ventus N. W. ſerenis autem vel N. vel N. O. fuit, plurimi raucedine, catarrhis, febribus intermittentibus tertanis, amphi merinis, doloribus & arthriticis & rheumaticis vagis afficiuntur,

Fertiliſſima ac gratiſſima per totum Maium fuit tempeſtas, caelum ad ſextam eſt ſerenum; ſeptima, octava, nona & decima pluvia pomeridie decidit. Hinc iterum caelum ad decimam ſeptimam ſerenum, decima octava, nona & vigeſima iterum pluviae, reliquum menſis percalidum & ſerenum. Ventus diebus pluviis ex occidente & modo W. modo S. W. reliquo tempore N. O. eſt. Statum medium 18 thermometrum habet. Synochae, bilioſae, & pleuriticae, diarrhoeis foetidis & ſudoribus iudicatae graſſantur.

Iunius perquam calidus, tonitru tamen & pluviis egregie temperatus eſt, ventus maxima parte O & N O. eſt. Nulli noſtris novi morbi, aſt Mannhemii variolae peſſimae, cynanches & ſcarlatinae cynanchoſae, infantibus ſat periculoſae, ſunt Epidemica.

Initio Iulii ad 16tam uſque, caelum ferme continuo nubibus diffuſis tonitruoſis tegitur, atque vix non omni die tonitru eſt & modo pluviae modo imbres decidunt, a decima ſeptima, ad

vigeſimam quintam caelum ſerenum cum intenſiſſimo calore eſt. Statio thermometri media 24, vigeſima quinta ad 26 aſcendit; per reliquum menſis quotidie tonitru cum pluvia, quin calor imminutus ſit, thermometro ad 25 perſiſtente. Serenis diebus exceptis, quibus ventus O. reliquis W. eſt. Mannhemii variolae malignae, & febris ſcarlatina infantibus ſat periculoſa ſunt, noſtros quoque hoc menſe ſcarlatina mitior, vix medela indigens, invadit.

A prima Auguſti ad duodecimam caelo quotidie nubibus tonitruoſis tecto, crebriores pluviae calore pauliſper remittente, (ſtatio thermometri media erat 19) decidebant, per reliquum autem menſem, licet quandoque imbres tonitruoſi deciderent, ferventiſſima erat tempeſtas atque ſtatio thermometri media 24. Febris petechialis ſat ferox in villis quibuſdam vicinis, pauci tantum in urbe hac corripiuntur, aſt eo plures tuſſi, coryza, diarrhoea, colera leviore moleſtantur, variolae quoque hinc inde occurrunt, mitiores quoque ſcarlatinae plures invadunt infantes.

Calor praeteriti menſis ad decimam 7bris in eodem vigore duravit. Hac die pluviis ad decimam ſeptimam continuatis aura aprica magis facta, atque humiditas, per nebulas quotidianas ad finem menſis continuata eſt, calorem diei, nebulis ad octavam a ſole fugatis, nox valde aprica ex-

cipiebat. Verſus decimam ſextam ferme quilibet catarrho afficitur, in quam plurimis leviore febre ſtipato, ceterum & febres intermittentes, cholerae, variolae benignae obſervantur, verſus medium quoque menſis ſcarlatina exaſperari, & angina iungi incipit.

Cum Octobri aurae ſerenitas rediit, atque tempeſtas amoeniſſima fuit, immo calida thermometro ad 19 & 20 ad meridiem aſcendente, aſt 7ma, pluviis ad decimam durantibus, aura refrigerata eſt, & thermometrum ſubito ad ſex gradus deſcendit, reliquum menſis, variabile admodum, nebuloſum, humidum & perquam apricum fuit. Scarlatina cynanches frequentiſſima, variolae confluentes, ſynochi catarrhales, dolores rheumatici. Sanguis detractus in morbis, eſt phlogiſticus, in omnibus morbis per vomitoria multum bilis cum levamine educitur.

Humidiſſima per Novembrem fuit tempeſtas, a prima ad decimam ſeptimam, nebulae & pluviae continuae erant, varia dein ad vigeſimam quintam, decidente quandoque nive fuit, ad finem dein, montibus in vicinia nive tectis, frigida. Variolae adhuc pernicioſae, circa finem menſis ſcarlatina miteſcere videtur.

Frigida admodum maxima pars Decembris fuit, glacies iam ab initio in plateis erat, atque frigore ad vigeſimam aucto Niccari quoque litto-

ra tenebat. Vigeſima ſecunda, aura remiſſiore facta, glacies ſolvi coepit, & vigeſima tertia ingruentibus pluviis ſoluta eſt, haecce tempeſtas ad vigeſimam nonam duravit, qua frigus augeri iterum atque glaciem inducere viſum, aſt trigeſima prima iterum pluviae. Statio thermometri media fuit 2. ſ. o. ad meridiem, mane autem, pluvioſis diebus exceptis, o. Adhuc variolae mali moris, ſcarlatina adhuc frequens aſt abſque angina, a vigeſima ſynochi catarrhales, rheumaticae, pleuritides, coryzae, tuſſes.

Duravit epidemia ſcarlatinae ad Maium inſequentis anni, rarior ab initio & in fine, frequentiſſima in epidemiae vigore, uti & graviſſima fuit, omni hoc tempore ſynochae bilioſae, pleuriticae, rheumaticae, catarrhi, & coryzae, graſſabantur. Morbili Mannhemio huc menſe Martio verſi, Aprili & Maio graviſſime ſaeviunt.

Calidam prae aliis hic annus temperiem habuit. Hiems valde mitis & humida, flantibus continuo vel Eteſiis vel auſtro fuit, atque ver gratiſſimum & calidum, caelo licet maxima ex parte ſereno, ventis ex Occidente dominantibus humidum tamen haberi poteſt. Sicciſſimam Maii & Iunii tempeſtatem, in quibus Eurus & Subſolanus praevalebant, calor humidus Iulio & Auguſto, per ventos occidentales adductus, excepit, calore per Septembris apricitatem temperato, &

humiditas, a frigore ad finem Novembris ingruente, & per Decembrem durante, fugata eſt.

Status ſanguinis, convenienter in morbis educti, hoc anno ferme ſemper phlogiſticus erat, illiſque acre quoddam bilioſum, per calorem procul dubio exaltatum, ſociatum, fuiſſe videtur, quippe in pleriſque vomitus, copioſa bile educta, ſalutaris fuit. Scarlatinae epidemia Mannhemii initium coepit, & nobis procul dubio per ventos occidentales translata eſt. Summo licet aeſtatis calore ad nos venerit, quo Mannhemii admodum periculoſa fuit, haud prius tamen ſub pernicioſa indole ſe nobis manifeſtavit, at cum atmoſphaerae calorem medio Septembris humida apricaque tempeſtas exceperit: eadem vehementia ad finem Novembris morbus ille graſſatus eſt, quo frigore ſuperveniente, morbus mitior quidem apparuit, neque tamen ante finem Aprilis inſequentis anni deſiit.

His iam praemiſſis febris ſcarlatinae, quae noſtros inveſtavit, hiſtoriam ſubiiciamus.

Haec epidemia more omnium mitior ab initio fuit, atque aegri, quos morbus primum invadebat, vix lecto detinebantur, neque in plurimis morbi ſuſpicio, niſi ex inſolito cutis colore nata eſt. Infantes primum afficiebantur, aſt morbo latius diffuſo, & adulti, verum teneriores & praeprimis ſexus ſequior hoc corripiebantur. Ver-

ſus aequinoctium autumnale aere aprico ac humido & inconſtante gravioribus cum ſymptomatibus ingruit, atque anginam & exanthemata miliaria comites habuit, in nullo, qui recte tractatus neque intempeſtive aeri expoſitus fuit leucophlegmatiam, de qua auctores adeo conqueruntur, deprehendi.

Raro gravior morbus, aegros ſubito invaſit, fere omnes pluribus ante morbum diebus, de reucedine, pondere capitis, faucium ardore, atque laſſitudine conquerebantur, aſt haec, horror cum calore fugaci primum alternans, viriumque proſtratio ſequebantur, iamque prima die calor ſiccus, urens, cutis arida, difficultas deglutiendi, rutilus faucium color cum tonſillarum tumore ac dolore lancinante, ſitis, inappetentia, pulſus frequens, ſuperveniebant.

De nocte, quae inſomnis erat, & altera die, aegri de doloribus vagis per artus querebantur, oculi abſque pruritu rubri & plorantes illis erant, veſperi notabilis exacerbatio accedebat, urina fuſca, mador, anxietas, inquietudo, agrypinia; 3tia die mane exanthemata cum pruritu aliquo, in capite, facie atque pectore, dein in abdomine, tandem in artubus apparebant, maculas rubras, latas, laeves, diſtinctas, non prominentes, primum referentes, quae brevi confluebant, quo tota corporis ſuperficies ſaturate rubro colore tin-

cta & tumida pauliſper videbatur, quarta undique papulae minimae, rubicundae, confertae, in areolas diſperſae apparent, & aliqua ſymptomatum allevatio eſt, quinta cutis palleſcere incipit, ſexta veſperi notabilis febris exacerbatio, ſiquidem calor, ſitis, inquietudo augentur, aſt haec, dum de nocte largus ſudor prorumpit, brevi remittunt, & die ſeptima aeger cum urina turbida iudicatus habetur, epidermis dein ſub forma furfurum decidit. Aegrorum nullum, qui non aeri intempeſtive ſe expoſuit, leucophlegmatia affectum vidi, in quibus autem urina ſemper pauca & profunde fuſca apparebat.

Curam quod attinet, haec in leviore ſcarlatina abſque cynanche, ſimpliciſſima erat. Aegri a libero ſolum continebantur aere, & extra lectum veſtimentis probe tegebantur, victus ex cremoribus oryzae, hordei, vel avenae, oleribus, prunis, vel ceraſis coctis, moderate datis, erat, potus ex ſaturato infuſo radicis chinae parabatur, & decidente epidermide, lene laxans antiphlogiſticum exhibebatur, in nullo haecce methodus optime e votis non ceſſit.

Aſt morbus cynanche iunctus iam gravior erat, & ſollicitam magis curam expoſcebat. Adultioribus ab initio ad quartam uſque ſanguis e vena ducebatur, ſemper phlogiſticus, in infantibus hoc intermittebatur, aſt ubi deglutitio ad-

modum laeſa, & dolor multum urgebat, imminente ſuffocationis periculo, ſanguiſugae iugulo admovebantur. Ex his mox deglutitio liberior fiebat, tum elapſis quibuſdam a venae ſectione horis, ſi viae iam eſſent liberae, aut 3tia mane, cum tartaro emetico admodum diluto, vomitus movebatur, qui ad refractiorem quoque ſolutionis doſin copioſus ut plurimum, & bilioſus erat, eoque cum levamine, ut non raro dolor omnis evaneſceret, aut plurimum levaretur. Decoctum herbae & florum verbaſci cum oxymelle pro gargariſmate, & exterius cataplaſmata ex micca panis cum lacte, vitello ovorum & croco cocta adhibebantur, quam primum deglutitio ſat libera erat, moto vomitu ſpiritus ſulphuris per campanam dephlegmatus in iulapio quodam ſumme dilutus porrigebatur, alvus ſi adſtricta emolliente ſolvebatur clyſmate, & ſaturatum radicis chinae infuſum larga copia per omnem morbi decurſum bibendum praecipiebatur. Cibus ex ſolis tenuibus erat cremoribus, atque aeger toto morbi decurſu aere debite renovato, lecto, leviter licet, aſt probe tectus ſervabatur. Hac methodo morbum illum ſemper feliciſſime, favente Deo ſubactum laete meminimus. Qui in praeludio opem explorabant, ſecta vena & moto vomitu ut plurimum a morbo immunes evadebant. In leucophlegmatia, decocta ex rad. aperientibus terra ſol. tartari, qui-

bus rheum infundebatur ; addito ſyrupo rad. 5 aperientium egregie ſatisfaciebant. Venam in hocce morbo audaćter ſecari curavimus, quod frequentia pulſus (ſub illa pulſum plenum & celerem intelligimus) dolor tonſillarum lancinans cum rubicunda illarum intumeſcentia ſtatus ſanguinis phlogiſticus, levamen a miſſione ſanguinis, inflammatoriam illius indolem manifeſte oſtendebant, vomitoria autem, non modo, quod illorum, in angina compertam habemus efficaciam, ſed quod in omnibus Epidemiam praecedentibus morbis bilioſi quid cum levamine per vomitoria eductum eſt, adhibuimus ; ſiquidem SYDENHAMII (*a*) monitum, ad anni febrim attendendum, *inveſtigandumque eſſe, quo illa pacto facillime expugnanda* veriſſimum reperimus.

Sinceram nunc huius epidemiae & methodi, quae a nobis adhibita fuit, hiſtoriam exhibuimus, quae & alii de ſcarlatina habent, ſuccinctae cum noſtris conferre liceat.

An veteres ſcarlatinam noverint non diſputabimus, morbos illis cum effloreſcentiis cognitos fuiſſe, quod exanthematum, Erythematum, papularum in febribus paſſim mentionem faciunt, extra dubium videtur. Aſt ſcarlatinam ante ſaecu-

(*a*) De morbis popularibus p. 326.

lum decimum ſextum fuiſſe ſcriptis tractatam; vix videtur.

Primus, qui febrim illam obſervaſſe atque poſteris conſignaſſe videtur, INGRASSIAS eſt, qui illius, in libro de tumoribus ſub nomine ROSSALIAE meminit, an purpura a FORESTO 1555 obſervata, de qua libro VI. obſervat 59, quod ſit ex puſtulis rubris, latis, inſtar morbillorum, quamvis ab iis non nihil diſtent, habet, certe meo iudicio affirmari nequit. Aſt certo certius SMETIUS Medicus & Profeſſor Heidelbergenſis huius morbi in ſuis miſcellaneis medicis meminit, dum ſic habet, *anno* 1589 *decima Ianuarii Winandus Zonſius, maculas rubras per univerſam cutem, cum frigoris ſenſu, nauſea & febri prorumpentes habebat, notandum interim, quod maculae iſtae per thoracem, ventrem, brachia, femora, crura immo per faciem caputque expulſae, in ruborem continuum unitumque eryſipelatis forma tranſierint, a quibus punctiones velut ab aciculis per cutim, ubique percepit, atque tenues inde ſquamulae ſunt ſubſecutae*. Febris color rubeus per univerſum corpus continuus, unituſque, atque cutis in iudicio deſquamatio ſymptomata ſcarlatinae pathognomonica ſunt, quare ſcarlatinam ſimplicem SMETIUM noviſſe pro certo habendum. Aſt graviorem ſcarlatinam SENNERTUS libro IV. de febribus capit. XII. deſcribit: *Alia,*

de morbillis ſcribens, inquit, *eſt differentia, ſed rarior quidem, quam aliquoties obſervavi, quo nomine autem diſcernam, dubius fui, etſi enim eryſipelatis inſtar, totum fere corpus prehendat, tamen non vidi, quod adultos, ſed infantes ſolum corripiat; malo ergo ad morbillos referre. Maculae rubrae & quaſi ignitae cum vix effatu digno tumore, per univerſum corpus quaſi quaedam parva eriſipelata erumpunt in principio, ſeu morbi die quarto vel quinto, in ſtatu vero univerſum corpus rubrum, & quaſi ignitum apparet, in declinatione rubor ille imminui, & maculae rubrae latae, ut in principio iterum apparent, quae tandem 7mo, & nono die evaneſcunt, epidermide ſquamarum inſtar decidente, malum vero hoc grave, ac periculoſum & ſaepe lethale eſt, nam calor eſt ferventiſſimus, ſitis inextinguibilis, & plerumque faucium aliorumque viſcerum inflammationes, deliria & alia mala urgent, in declinatione ſaepius materia ad articulos transfertur & dolorem ac ruborem, ut in arthriticis excitat, cutis ſquamarum inſtar decidit, mox pedes ad talos & ſuras uſque intumeſcunt, hypochondria laeduntur, reſpiratio difficilior redditur, tandemque abdomen intumeſcit, aegrique non ſine magno labore, & poſt longum tempus convaleſcunt, ſaepe etiam moriuntur.* En praeter ſimplicem graviorem ſcarlatinam, quae de febrium inflammatoriarum indole

tenere videtur. Hocque ab hac obſervatione peculiare habetur, quod ſcarlatinam non in leucophlegmatiam ſolum, ſed & in arthritidem terminari conſtet.

Inter Scriptores prioris ſaeculi, MORTONUS ſcarlatinam cum morbillis confundit, atque hunc morbum cum morbillis pro eodem habet, *exulet igitur per me*, inquit (CV. in tractatu de febribus inflammatoriis univerſalibus) *e cenſu morborum haecce febris, niſi cuiquam morbillorum confluentium titulo eam deſignare inpoſterum viſum ſit, ideoque ſicco pede eam praeterire conſulto ſtatuimus*. Nequis autem MORTONI auctoritate ſeducatur, quibus innitatur rationibus, audiamus. Vult, *utrumque morbum ab eadem cauſſa evidenti, ſcilicet ambientis aeris iniuriis, ſive frigore in poros cutis admiſſo, ſive miaſmate in eoſdem poros invadente, originem trahere, atque utrumque venenatum fermentum colliquativum & deleterium pro cauſſa continenti, ſortiri*. Verum quis morborum miaſmata, niſi per effectus diſcernat? ac proin quis non videt quamplurimos morbos epidemicos eſſe confundendos, qui omnes a miaſmate quodam, atque ab aeris iniuriis plus minuſve pendent, & deleterium, ac colliquativum pro cauſſa continente fermentum habere videntur, ſane ferme omnes morbi exanthematici atque totum febrium malignarum penu huc referri poteſt. Urget,

febris,

febris, primum eiuſdem inſultum comitans, ſpeciem prorſus eandem ac in morbillis induit, durante apparatu, efflorèſcentiam praecedente, & cum comate, deliriis, caeteriſque malignitatis indiciis coniuncta eſt, & iiſdem ſymptomatis a colliquatione provenientibus, tuſſi ſcilicet ferina, cerebri gravitate, ſternutatione indeſinenti, diarrhoea, lacrymis involuntariis inſignitur, inſuper efflorèſcentia in utroque affectu, eandem partem, cuticulam ſcilicet occupat, nec non ſtadia utriuſque morbi eodem modo pro genio fermenti plus minus deleterii, magis minuſque protenduntur. Ubi morbus benignus eſt, utraque efflorèſcentia ſecunda vel tertia die incipit, atque quarta vel quinta die, una cum febri comitante recedit, ubi malignus eſt & epidemicus, non raro utriuſque efflorèſcentiae apparatus, ad ſextum, & ſeptimum diem protrahitur, & efflorèſcentia uſque ad decimum quartum diem durat, & interea glandulae oculorum, pharyngis, & laryngis, & bronchiorum inflammantur, febris inflammatoria accenditur, deglutitio, & reſpiratio laeditur ceteraque anginae, & peripneumoniae ſymptomata ingraveſcunt, nec non febris poſt utramque efflorèſcentiam peractam, pro ratione veneni ſuperſtitis diverſa, naturam iam συνεχος, *iam* συνοχȣ *& malignae ſibi adſciſcit; denique morbi ipſiſſimi, ſcilicet tuſſis, & phtiſis pulmonalis, ophthalmia, diarrhoea pertinax & colliquativa, affectus ſtrumo-*

ſus, *cachexia*, *leucophlegmatia*, *ascites utrumque morbum indiscriminatim inſequuntur*, ſic ille. Aſt ferme omnia hactenus dicta & in variolis reperiuntur, quis autem variolas pro eodem cum morbillis morbo habeat, ſane haec ſimilitudo feciſſe videtur, ut Medici latino barbari variolas cum morbillis confunderent, atque uno eodem in ſcriptis capite pertractarent; aſt uti agnita licet hac ſimilitudine variolarum cum morbillis, quod notabilibus ſymptomatis inter ſe diſcrepent, tamen pro diverſo habeantur morbo, idem etiam de ſcarlatina ſentiendum erit. Atque ipſum MORTONUM hanc diverſitatem non ignoraſſe palam eſt, capite enim tertio (*a*) egregie morbillos a ſcarlatina diſtinguit *efflorеſcentiam morbillorum* (inquit) *interſtitiis*, *figura diverſa*, *oblongo quadrata & multangula praeditis*, *variegatam obſervaſſe eſt*, *namque non una continua inflammatione ſeu rubedine*, *ut in febre ſcarlatina perfunditur cuticula*, *quo criterio duntaxat haec effloreſcentia*, *ab altera*, *quae febrem ſcarlatinam comitatur*, *dignoſcenda eſt*; & alibi ubi praecipuis morbillorum ſymptomatis rubedine oculorum, lacrymis involuntariis, ac tuſſi moleſta, frequenti, pertinaci ac ferina dixit, *veriſſimum eſſe*, *haec ipsa symptomata efflorescentiam scarlatinam*, *atque variolarum eru-*

(*a*) Qu. 5. p. 11.

ptionem (*quae sunt cognatae eruptiones cutaneae*) *haud raro intercedere*, *vix autem ac ne vix quidem in gradu adeo intenso usquam observari perhibet* . Duo itaque admodum notabilia ſigna, quae ſcarlatinam diſtinguunt, ſcilicet conſtanter diverſam a morbillis efflorefcentiam, atque non neceſſarium catarrhalem apparatum agnoſcit. Atque profecto ſi morbilli cum ſcarlatina pro eodem habeantur morbo, quaerere cum Cl. PLENCIZ (*a*) poſſemus, cur contagium a ſcarlatina ſuſceptum nunquam morbillos, & viciſſim morbilli ſcarlatinam producant. Verum & alia ſunt, quibus ſcarlatina a morbillis differt. Efloreſcentia in ſcarlatina aequalis maculae adinſtar cutim tingit, ſemper pauliſper in morbillis plus minuſve prominet, rariſſime, atque ſi contingit parum tantum pruriunt oculi in ſcarlatina, rubri licet, lumen vividiſſimum ferunt, quod neque in variolis neque morbillis locum habet, vix memini efflorefcentiam papularem in morbillis, quae adeo frequens in ſcarlatina reperitur, maligna morbillorum ſpecies peripneumonia lethalis fieri, ophthalmias pertinaces, phtiſin, ſtrumas iuxta ipſum MORTONUM relinquere ſolet, angina graviſſima gangraenoſa, vel febri maligna, ſcarlatina interficit, atque quantum, au-

(*a*) Opuſcul. Vienae edita.

ſtorum obſervatione conſtat, ſola, quam ſaepius relinquit, pertinaci leucophlegmatia funeſta eſt. Toties tandem abſque ulla tuſſi, & coryza ſcarlatina, nunquam abſque ſignis catarrhalibus morbilli reperiuntur.

Quae ETTMULLERUS de ſcarlatina refert, non tam ex propria obſervatione, quam ex SYDENHAMIO & SENNERTO hauſiſſe videtur, illum itaque mittamus, aſt quae SYDENHAMIUS (*a*), auctor in praxi claſſicus, de hac habeat, videamus. Londinenſes annorum 1667, ad 75. epidemias referens ſcarlatinam morbis intercurrentibus adnumerat, hancque de illa hiſtoriam nobis relinquit. *Scarlatina febris licet nullo non tempore poſſit incidere, utplurimum tamen exeunte aeſtivo se prodit, quo quidem integras familias, infantes vero prae ceteris infeſtat, rigent horrentque sub initio, ut in aliis febribus, qui hac afficiuntur, neque vehementer admodum aegrotant, poſtea universa cutis maculis parvis, rubris interſtinguitur crebrioribus certo & multo latioribus, magisque rubentibus, at non perinde uniformibus, ac ſunt illae, quae morbillos conſtituunt, ad duas tresve dies perſiſtunt hae maculae, quibus demum evanescentibus, decedente subiecta cuticula, reſtant furfuraceae quaedam squamulae, ad inſtar fari-*

(a) De morbis popularibus.

nae corpori inſperſae , quae ad ſecundam aut tertiam vicem ſe promunt , conduntque viciſſim . Leviſſimam tantum ſcarlatinae ſpeciem SYDENHAMIO innotuiſſe videtur , quae methodo ſua tractata ſane vix morbi nomen, ut ipſe perhibet, mereri videtur .

Aſt gravius ſcarlatinam quandoque ſaevire , SENNERTI non modo relatio , ſed noſtri ſaeculi medicorum teſtimonia probant. Berolinenſes (vid. Acta Med. Berolin. v. 2. p. 20.) ad annum 1717. ſequentem huius febris hiſtoriam referunt . Invaſit haec febris ſcarlatina patientes , cum rigoribus cephalalgia , & cardiaca nauſea , quam excipiunt communiter vomitus, effloreſcit 4to vel 5to die ſenſim atque ſenſim poſt praecedaneam aſperam papillularum cutanearum elevationem, rubedo per univerſum corpus a capite uſque ad calcem diſperſa cum cutis aliquali intumeſcentia , ita ut patientum externus aſpectus referat ideam cancri cocti ; iſta rubedo interiora narium , limboſque & angulos oculorum etiam obducit , iungitur his oculorum conturbatio , ardor & aeſtus febrilis , inquietudo , inappetentia , tuſſis , & oppletio pectoris , agrypnia , nonnunquam delirium & alvi ſiccitas , verſus ſeptimam diem ſine ſudoribus rubor iſte fit remiſſior, cuticulaque inchoat deſquamari , & tunc maxime ubi morbus declinare videtur fauces aphtodea inflammatoria congeſtione

periclitantur. Febrim illam utroque vernali & autumnali aequinoctio infantibus eſſe maxime infenſam notant.

Volum. vito ibidem ad annum 19 pag. 21. ſequens febris ſcarlatinae hiſtoria habetur. *Invaſit febris patientem, cum horrore & phlogoſibus alternantibus, concurrebat anguſtia respirandi, & exacerbatio semper erat vespertina, ipsum exanthema conſiſtebat in expanſo rubore per faciem pectus & reliquum corpus ſine conspicua & inſigni papillarum cutis elevatione, ſine sudatione, 7ma disparuit*. En duplicem iterum epidemiam, quarum prima gravior id. peculiare habet, quod aphtodea inflammatione iudicabatur, altera, regularibus exacerbationibus nocturnis notabilis videtur.

Primus autem de hoc morbo & fuſius & accuratius, quam anteceſſorum ullus, PELARGUS (*a*) (dictus STORCH) tractavit, epidemias ille ſcarlatinae ab annis 17 ad 42 obſervaverat, quo ſuam de hoc morbo ſententiam ducentis firmatam obſervationibus publico dedit. Duplicem ille huius morbi periodum admittit, ad primam febrem ipſam refert, ad alteram leucophlegmatiam, quae quandoque hunc morbum ſequi ſolet, dein febrem

(*a*) Praktiſcher und theoretiſcher Tractat vom Scharlachfieber.

hanc in benignam ac malignam diſtinguit, atque malignam vehementiore aeſtu, angina, deliriis, diarrhoea, aliiſque gravibus ſymptomatibus diſcerni perhibet, ſimplicis autem ſcarlatinae ſequentem exhibet hiſtoriam. Morbus hic utplurimum infantes corripit, atque mox prima die laſſitudine motibuſque febrilibus invadit, altera vel tertia die maculae eſſloreſcunt rubrae in facie primum, dein in collo, pectore, reliquiſque corporis partibus, quae confluentes rubore ſcarlatino cutim tingunt, elapſis quibuſdam diebus, rubor ille primum in facie, dein, & in reliquo corpore palleſcit, tumque epidermis deſquamatur atque vel integris lamellis, vel furfurum modo recedit, evaneſcente rubedine & febris, quae ad ſeptimam plerumque diem extenditur, iudicari ſolet. Huncque decurſum primam periodum dicit. De altera haec habet. Elapſis circiter quatuordecim diebus, cum laſſitudine, totum corpus turgere incipit, ac oedematoſum fieri, reſpiratio ſit parva, de anguſtia praecordiorum, atque anxietate aegri quaeruntur, parcamque atro fuſcam urinam mittunt. Curam huius periodi difficillimam, maiuſque quam in prima periodo periculum aſſeverat.

Scarlatinae malignae hiſtoriam quoque celeberrimo HUXHAM (*a*), licet alio ſub nomine,

(*a*) HUXHAM opera omnia. Tom. III. de angina maligna.

ſcilicet anginae malignae, debemus, praemiſſa aeris conſtitutione annorum 52 & 53, hunce morbum humida frigidaque tempeſtate irrepſiſſe, & tandem menſe 7bri & 8bri anni 52 graviſſime ſaeviiſſe notat. Sequentibus autem ſymptomatibus, quae genuinam illius indolem oſtendunt, graſſatus eſt; *Plerumque cum horrore & frigore, capitis gravitate & dolore, aliqua tuſſi, raucitate, ventriculi vitio, vomitu frequenti, alvi deiectionibus (inprimis in infantibus) ingruebat, cum quibus ſimul tonſillae valde intumeſcebant, & inflammabantur, & interdum parotides & glandulae maxillares ipſo quoque in principio tumore afficiebantur subitaneo & tanto, ut ſtrangulationem minaretur. Fauces quoque ruborem summe floridum vel potius clare cremoſinum valde nitentem monſtrabant, atque plerumque in uvula, tonſillis, velo palatino, & poſteriori pharyngis parte vel cinereae vel albidae apparebant aphtae saepe subito praeter modum auctae, licet tum temporis humida albaque tantum in apice eſſet lingua, in radice tamen valde impura, craſſa, lutea, aut caſtanei coloris pellicula tegebatur, nauseosus quoque emittebatur spiritus, foetoris de hora in horam increscentis, & ipſis saepe aegrotis intolerabilis. In omnibus subitanea debilitas, spirituum abiectio, magnum pectoris pondus observabatur, pulsus generatim celer, parvus, tremulus, quandoque tar-*

ctus & repens deprehendebatur. Urina plerumque pallida, tenuis & cruda erat, aſt quandoque adulti parca quantitate profunde tinctam aut turbidam, ſero ſimilem, emittebant. Oculi graves, rubri, & quaſi lacrymantes apparebant. Haec primum, altero aut tertio die omnia ſymptomata inſigniter augebantur; magna cum inquietudine & anxietate difficultas deglutiendi augebatur, maius aut minus delirium, nonnunquam pervigilium, & perpetua phrenitis aderant, cutis erat calida aspera ſicca. Interdum vomitus, interdum alvi laxitas inſignis, respiratio difficilior cum ſtertoris ſibilo reddebatur, sub his plerumque exanthemata erumpebant per summam corporis cutem, interdum tamen tantum aliquam partem tegebant, atque in quibus nulla efflorescentia (quod in adultis quibusdam, nunquam in infantibus contigit) eveniebat, inſignis nihilominus pruritus, & desquamatio sequebantur. Ab efflorescentia cutis quaſi ribeſiorum succo oblita videbatur, idque in ipſis quoque digitorum apicibus, atque iſte cutis color proprius huic morbo videbatur. Spiritus aegrotantium nauseosus, inprimis tempore criseos, intolerabilem acquirebat foetorem, atque quidam, quarta & quinta die magnam purulenti ac foetidiſſimi muci copiam exscreabant, qui ab excoriatis saepius naribus quoque ſtillabat, adeoque acris erat, ut genas & manus aegrotantium infantum non modo, sed &

digitos, atque brachia inservientium corroderet; non solum vero nares & fauces, sed ipsa quoque aspera arteria ab acri hac materia corrodebatur. Licet eruptio aegrotis plerumque aliquod levamen ratione anxietatis, ventriculi nauseae, vomitus, purgationis caeterorumque symptomatum afferre soleret, universalis tamen pruriens in quibusdam observabatur eruptio, ſine ulla symptomatum remiſſione, quid quod cuncta fere graviora & aucta saepius videbantur. Quod ſi moderatus & facilis sudor, tertio aut quarto die accederet, quod ſi pulsus lentior firmior & aequabilior fieret, quod ſi cruſtae faucium, mitiori reciderent ratione, fundusque satis floridus & purus appareret, & aliquis vigor alacritasque reſtituebatur oculis, omnia erant ſalva, & salutaris criſis cito efficiebatur sudoris continuatione, & urina turbida subſidente, farinosa, & larga valde summae cuius desquamatione. Propriis HUXHAMII verbis hancce excerpſimus hiſtoriam, neque quis anginam hanc malignam, e ſcarlatinarum genere fuiſſe dubitabit, quae enim graviora reperiuntur ſymptomata, acriori, & deleterio magis miaſmati, maiorique humorum corruptioni, ad quam praeter atmoſphaerae humiditatem, & mala anno 52 ab HUXHAMIO notata meſſis procul dubio contulit, adſcribenda videntur, eaque ratione haec febris ad ſynocharum putridarum familiam, quo ſane ſubi-

tanea debilitas, pulſus parvus celer, lingua ſordida lutea, foetor oris intolerabilis huic morbo praeter cetera communia ſpectant, referenda videtur.

Eodem ferme tempore Cl. NAVIER (*a*) CATALAUNII reliquiſque in Galliae provinciis graſſantem epidemiam ſcarlatinam obſervavit, quam anno 53. in diſſertatione de morbis popularibus deſcripſit. Morbus febri, animi deliquiis, laſſitudine, capitis fauciumque dolore, deglutiendi difficultate ſe manifeſtabat, altera & tertia die, maculae, rubrae vividi ſcarlatini coloris, largae, manus magnitudinem ſaepe excedentes, figurae irregularis, & dorſum, pectus, femora, nates occupantes, quandoque variabiles, quandoque confluentes, ut corpus aequali rubedine tinctum eſſe videretur, apparuerunt, cutis ruberrima, digito preſſa albeſcens, hoc remoto ſtatim rurſus rubeſcebat. Calor erat ardens, pulſus parvus, celer; Reſpiratio difficilis & intercepta ac ſuſpirioſa in plurimis videbatur. Halituoſus vapor e pulmonibus egrediens urens quaſi deprehendebatur. Niſi aegro ſtatim in primo morbi impetu ſuccurrebatur, eſcharae gangraenoſae in fundo

---

(*a*) Diſſertation en forme de lettre, ſur pluſieurs maladies populaires qui ont regné depui a CHALON SUR MARNE & dans une partie du Royaume.

faucium ſuperveniebant, quibus ortis pauciſſimi emergebant. A morbo evadentibus 5to & 6to die, epidermis ſquamularum forma, immo ſaepius notabilibus portionibus decidit. Multis prodigioſa leucophlegmatia, bruno profluente ac quaſi ſanguinolento lotio, ſupervenit. Facilis faucium gangraenoſa exulceratio peculiare illius epidemiae videtur, ceterum febribus malignis adſcribenda.

Poſterioribus annis ſcarlatinae tractatum Cl. PLENCIZ (*a*) debemus, hic cum PELARGO pluribus convenit. Duplicem, ut ille, ſcarlatinae periodum ſtatuit, ſcilicet primam, in qua febris obſervatur, alteram dum leucophlegmatia ingruit. Dein illius more ſcarlatinam in benignam ac malignam diſtinguit, quam benignae hiſtoriam refert, haec eadem ac ſcarlatina SYDENHAMII, de maligna autem ſequentia perhibet, *magna virium proſtratione ingruit, iamque ab initio, cum febri appetitus proſtratus, nauſea, vomitus, ſitis magna, inquietudo, agrypnia, anxietas, ſopor, delirium, dolor, rubor faucium, deglutitio ac respiratio impedita adsunt, altera, tertia vel quarta die rubor scarlatinus, qui ad septimum morbi diem perdurat; circa 6tam, utplurimum papulae, milliaria alba utcunque referrentes appa-*

(*a*) M. A. PLENCIZ Med. Vindobon. Opera Phyſ. Med.

rent , & 7ma desquamatio subsequitur . Alterius periodi deſcriptio eadem ac illa PELARGI eſt , niſi , quod Cl. Auctor leucophlegmatiam eos potiſſimum , qui temporius aeri libero ſe expoſuere invaſiſſe , atque hoc hyeme potius quam aeſtate contigiſſe , notet . Tanquam ſpeciale quid memorat , evenire ſaepius , ut rebus cunctis perquam proſpere ſuccedentibus ſeptima die plerumque ſed & tardius aegri fiant inquieti , delirent , continuo e lecto proſilire nitantur , immo convellantur , qui tum rariſſime evadunt . In his autem neque deſquamationem , neque leucophlegmatiam auctor unquam obſervavit . Haemorrhagiam narium , tuſſim , ſalivam cruentam , moleſtam ſternutationem , glandularum colli & parotidum tumorem , ſurditatem , papulas rubras vel albas , abſceſſus in partibus exterioribus , quae quandoque contingunt , anomalis ſymptomatibus adnumerat . Cum reliquis obſervatoribus febrim hanc circa aequinoctia potiſſimum ingruere perhibet . Auctorem , diverſas ſcarlatinae ſpecies cum ad duas tantum reducat , exactam illius therapiam exhibuiſſe , vix videtur .

Neque quae a Cl. BRUNING (*a*) noviter de febre ſcarlatina habemus , mittere poſſumus . Se-

---

(*a*) G. T. H. BRUNING conſtitutio epidemica Eſſedenſis .

quentia de illa, ab anno 69. ad 70. graſſante; memorat: *mollis admodum erat hyems, & humida ac variabilis reliquo tempore atmoſphaerae conſtitutio, dum in fine Iulii ſcarlatina ingrueret, & per Octobrem graviſſime ſaeviret, frigore hyemali ad finem Decembris denuo mitigata. Prima acceſſionis die, inſolita laſſitudo, faucium ſiccitas, dolor rubor tonſillarum cum aliquo tumore, dolor capitis, pulſus frequens aderant. Altera, membrorum praegrave pondus, dolor occipitalis gravativus, uvulae elongatio, faucium rubedo ignea, auctus tonſillarum tumor cum ſenſu corporis cuiuſdam deglutitionem morantis, ſitis eximia, calor urens, pulſus durus celer, corporis iectigatio, ſenſuum hebetudo, ſopor moleſtabant, urina erat flammea. 3tia calor urens in volis manuum & plantis pedum ſine ullo tranſpirationis vel leviſſimo ſigno, ſtupiditas, faucium inflammatio aucta, lingua ſordida cum dentium ſqualore, praecordiorum aeſtus, anxietas, circa collum & pectus & interiori brachiorum parte efflorefcentiae rubrae, diſcretae, mox confluentes, atque hinc inde papulae prurientes, inconſtantes, maculas relinquentes rubras, urina ſaturate rubra, ſupernatante oleo, rancidum ſpirante, nauſea perpetua, pulſus parvus inaequalis, vox rauca percipiebantur, quarta totum iam corpus rubore ſcarlatino tectum eſt, caput atrociſſime de-*

let, rubent oculi, torvus eſt aſpectus, inflammatae fauces inſuppurationem, deglutitione omnimode intercepta, abeunt, mens eſt alienata, adeſt ſtupor, otalgia vehementiſſima, lumborum dolor, pectoris ſtrictura excruciant, pulſus intermittit, urina ſaturata, cruda, alvus adſtricta eſt, agrypnia aegrum tenet, de nocte fit exacerbatio. Quinta cuncta ſunt graviora, lingua arida, nigra, ſordida, oculi ſcintillantes, eruptio milliaris alba, quae ſub perpetua corporis tectigatione, intermiſſione pulsus, & horripilatione prodit. Sexta, nova saepius miliarium eruptio, mentis alienatio cum serenitate alternans, deglutitio, ob absceſſus rupturam liberior eſt, quibusdam cum levamine haemorrhagia narium fit, dolor punctorius per totum corpus percipitur, noctes omnes hactenus inquietae, insomnes pavoribus interruptae diebus peiores sunt, & ſiquis somnus, delirius, non reficiens adeſt. Septima mitior febris, mens magis serena, cutis color ad naturalem rediens, miliaribus ad undecimam, saepiusque ad 14tam perſiſtentibus, quae interea exſiccantur: somnus primum parvus reficiens tamen, alvus sponte aperta eſt, cutis desquamatur, vires ſucceſſive redeunt. Morbo superato, per totum corpus saepius ulcera prodeunt, pus quibusdam bonum, aliis ſanioſum fundentia, quae poſteriora admodum rebellia

ſunt: saepe leucophlegmatia supervenit, saepe diarrhoea spontanea bona, omnibus capillorum defluvium adeſt. Eruptio exanthematum iam altera die mala fuit, vomitus & diarrhoea ab initio cum pulſu & urina naturalibus, quarta die lethalia erant. Pulſus in hacce epidemia durities, urina flammea, tonſillarum inflammatio in abſceſſus mutata, haemorrhagia narium cum levamine, notari merentur, ex quibus hanc ſcarlatinam inflammatoriae potiſſimum indolis fuiſſe videtur.

Nec minus, quae noviſſime Cl. WITHERING (*a*) de ſcarlatina BIGMINGHAMII anno 1778. graſſante conſignavit, notabile videtur, ſequentia de illa habet. Humida tempeſtate a medio Maii ad Iunii initium per omnem viciniam graſſata eſt, ſaepiſſime iunctam habuit anginam, atque tuſſis convulſiva & morbilli, & variolae, ſimul apparuerunt, duravit ad finem Octobris, atque per Novembrem rarior fuit, aſt cum verſus huius menſis medium tempeſtas temperata magis fieret, denuo crebrius invadere coepit, frequentiſſime infantes, licet & adultos corripuit, raro tamen infantes infra ſecundum annum, & adultos ultra quinquageſimum affecit, inter iuniores utrumque, in adultis femineum potius ſexum invadebat. Ingens

(*a*) An account of the ſcarlet fever and ſore throat.

Ingens ab initio virium proſtratio, animi deiectio, rigor aliquis in iugulo & cervice cum dolore leviore circa ſcapulas, horror, calorque fugax, ſe invicem excipientes, levior cephalalgia, inſomnium, ſub his altera die dolor faucium gravior, cum difficultate deglutiendi, quae magis a muſculorum deglutitioni inſervientium atonia, quam a dolore pendere videbatur. Acceſſit ſimul inappetentia & ciborum averſatio, nauſea, quandoque vomitus, reſpiratio brevis, intercepta ſuſpiriis, cutis ardens arida, dolor pungens hinc inde per cutis ſuperficiem, verſus noctem caloris & agitationis augmentum, halitus calens, labia ſicca, ſitis licet, tum ob nauſeam atque dolorem in deglutitione, aegri a potu abſtinent; 3tia mane nucha, facies atque pectus ſolito magis rubent, elapſis quibuſdam horis rubedo per totum corpus, cocti cancri, eſt, atque tota corporis ſuperficies pauliſper humida; laevis tactu cutis, nullibi puſtularum indicium, aegri delirare incipiunt. Haec circiter ad ſextum uſque diem perdurant, dum color fuſcus ſit, cutis exaſperatur, ſquamae decidunt, atque verſus ſeptimam diem aeger reconvaleſcere incipit.

Pulſus per totum febris decurſum parvus, debilis & celer eſt, alvus aperta, urina pauca, & a ſana cocta vix diſſimilis, tument glandulae ſubmaxillares & ſublinguales, atque ad tertium

diem dolent, lingua rubicunda in apice, & lateribus humida, in medio muco fuſco, flaveſcente obducta; palatum, velum palatinum, atque uvula ab univerſali rubedine participant, atque paululum quoque tument, ulcere vero neque tonſillae, neque ulla faucium pars affecta, ſed ſpiſſiore tantum muco, qualis in aphtis apparet, obductae videntur; poſt febrim, ſaepius in parotide una alterave fit tumor, facile abſcedens, & ſponte diſrumpens, ſanitate ſubſequente. Hic morbi decurſus ordinarius; aſt graviore cum ſymptomatum ſydrome quandoque decurrit, quibuſdam mox ab inſultu delirium, calor urens, a prima ad alteram diem eruptio ſcarlatina, quae fuſca fit, pulſus debilis, celer, cutis ſicca, os aridum, labia nigra, fiſſa, lingua aſpera, fuſco muco tecta, ſicca, oculi caliginoſi, retracti, albuginea quaſi ab echymoſi rutila, norexia, ſumma virium proſtratio, haec per plures dies uno eodemque tenore perdurant, tum inſignis copia humoris flaveſcentis, & limpidi e naribus vel auribus ſtillat, qui quandoque mucum pure remixtum refert, omnibus his vix notabiliter fauces dolent, atque infantes ſic affecti 3tia die, adulti autem quarta & quinta, ſuperveniente praeprimis diarrhoea, alii octava & undecima moriuntur; pauci evadunt, & quibus hoc contingit, hi lente convaleſcunt. At plures hectica conſumpti pereunt.

Aliis ab inſultu pulſus celerrimus, irregularis, ſumma debilitas artuum, efflorescentia mox prima die, aſt maculoſa, lata, diſcreta, variabilis, cui ſtigmata exilia, livida in pectore cubitis, & genubus cum ſumma anxietate ac inquietudine ſuperveniunt; crebrius aegri ſuſpirant, ſitiunt, aſt parca vix aſſumpta potus quantitate, liquidum ore retentum, deglutitionis oblitis emanat; horum pauciſſimi emergunt. Quam hic ſcarlatinae hiſtoriam ex cl. WITHERING retulimus triplicem haec nobis ſpeciem ſiſtit, prima ratione averſationis a cibis, nauſeae, vomitus, ſitis, linguae humidae flaveſcente obductae muco ad febres bilioſas, altera ob cutis ſiccitatem, calorem urentem, os aridum, labiorum nigredinem, & fiſſuram, linguam muco fuſco tectam, anorexiam, ſummam virium proſtrationem, deliria ad cauſos, 3tia ob efflorefcentiarum variabilitatem, pulſum celerrimum irregularem, ſtigmata livida, ſummam debilitatem, coma vigil, ad malignas pertinere videtur.

Quod ſi nunc ea, quae laudati auctores de ſcarlatina habent, atque noſtram conferamus obſervationem, haec in quam pluribus diſcrepare, apparet, modo enim cum pulſu duro frequenti, modo cum parvo celeri adgreditur, urina modo naturalis, modo ſaturata, flammea deprehenditur, quibuſdam lingua nitida, aliis ſicca, flaveſcente

obducta muco eſt, in his nauſea, vomitus, diarrhoea, foetor intolerabilis, in aliis nil tale deprehenditur: his maculae rubrae latae variabiles, efflorefcunt, in aliis, totum corpus rubro colore obducitur. His fauces abſcedunt, a gangraena deſtruuntur, in aliis nec dolent quidem, quibuſdam praeter efflorefcentiam ſcarlatinae vel purpura, vel papulae milliares, albae vel petechiae efflorefcunt; paucis, diverſas illius morbi eſſe ſpecies negari nequit, in eo autem quod febris plus minuſve gravis efflorefcentiam ſtipetur, quod cutis ab initio arida, urens, efflorefcentia ſcarlatinae coloris ſit, & in iudicio epidermidis deſquamatio fiat, omnes conveniunt; haec itaque ad characterem ſcarlatinae genericum merito referuntur.

Diverſo modo hunc morbum iudicari ex allatis quoque obſervationibus apparet. Facile hunc morbum in leucophlegmatiam pertinacem, ſaepius lethalem abire, ab omnibus ferme notatum, ex qua ad intumeſcentiam proclivitate, factum videtur, ut a PELARGO atque Cl. PLENCIZ haec pro altero huius morbi periodo habita fuerit. Verum pace horum Cl. Virorum, cum ea, quae morbos non ſemper inſequuntur, quae debito regimine averti poſſunt, quaeque cum primario morbo nexum non habent, ſed quandoque morbo primario iudicato, ſuperveniunt, ad ipſum mor-

bum pertinere haud videntur, nobis pro imperfecta potius criſi, ſeu metaſtaſi, quam pro morbi illius periodo habenda videtur; atque leucophlegmatiam ſcarlatinae ſic ſe habere ex eo apparet, quod notante ipſo Domino PLENCIZ hyeme potius quam aeſtate illa contingat, atque omnes commendent auctores, ne aegri temporius aeri libero exponantur. Aegrorum meae commiſſorum curae, cum morbus ſalutari iudicabatur ſudore, nullus intumuit. Praeterea iuxta SENNERTUM arthritide: iuxta BEROLINENSES aphtis faucium: haemorrhagia narium, diarrhoea, ulceribus vel abſceſſibus in toto corpore iuxta Cl. BRUNINGIUM: per parotides abſcedentes iuxta Cl. WITHERING: iuxta HUXHAMIUM, & nos ſudoribus & urinis turbidis iudicari ſolet.

Quod ſi morbus tum perfecte iudicatus ſolum habeatur, ſi noxium in corpore vel perfecte ſubigatur vel debite eliminetur, ut inde perfecta redeat ſanitas, ſane ſolae excretiones in ſcarlatina cum levamine & ſubſequente ſanitate ex obſervationibus ſuccedentes, pro legitimis evacuationibus criticis ſunt habendae, & reliqua in iudicio accedentia imperfectae criſi ſeu metaſtaſi adnumerentur; cum perfecta ſaepius propter deficientes ob graviorem morbum vires, forſan etiam ob tractandi rationem minus convenientem vix contingere poſſit.

Diſcrepantem admodum ſcarlatinam eſſe iam ex ſuperioribus apparet, quare neque unam eandemque curam omni ſcarlatinae adhiberi poſſe; facile intelligitur: quam maxime ergo refert ſcarlatinae ſpecies noviſſe, quarum quaſdam ex ſupra allatis obſervationibus formare liceat.

Pro charactere generico nobis erunt. Cutis ab initio arida, calor ſiccus, febris, anxietas, inquietudo, effloreſcentiae latae maculoſae ſcarlatini coloris, in iudicio epidermidis deſquamatio, facilis, neglecta perſpiratione, in leucophlegmatiam tranſitus.

Species I. Scarlatina benigna SYDENHAMII: febris ephemera vel ſynocha ſimplex, 3tia die efflorescentia maculoſa coloris cocti cancri, 7ma epidermidis deſquamatio.

Spec. II. Scarlatina cynanches, ſcarlatina inflammatoria: tumor & rubor tonſillarum atque dolor lancinans, niſi reſolutio, abſceſſus, rutilae fauces, pulſus frequens, calor urens, urina ſaturata, iudicium ſudore & urinis turbidis.

Spec. III. Scarlatina catarrhoſa BEROLINENSIUM ann. 1717. nauſea, vomitus, oppletio pectoris, tuſſis, in iudicio aphtae tonſillarum.

Spec. IV. Scarlatina putrida HUXHAMII: aliqua tuſſis, raucedo, vomitus, fauces aphtis tumidae, lingua impura lutea, gravis foetor oris, ſubitanea virium proſtratio, animi deiectio, pul-

ſus parvus, celer, tremulus, urina pallida tenuis, cruda, delirium, pervigilium, effluxus humoris acerrimi, & foetidiſſimi ex ore, naribus, & auribus iudicium ſudoribus, urina turbida.

Spec. V. Scarlatina gangraenoſa NAVIER: pulſus parvus celer, ſumma laſſitudo, faucium ardor, tonſillarum tumor, excoriatio, reſpiratio difficilis ſuſpirioſa, maculae ſcarlatinae inconſtantes, exſpiratio urens, facilis faucium gangraena.

Spec. VI. Scarlatina anginoſa miliaris BRUNINGII: pulſus durus, frequens, ſitis eximia, urina flammea, lingua ſordida, gravis faucium inflammatio, 4ta die tonſillarum abſceſſus cum exacerbatione nocturna, 5ta Auctis anxietate, & inquietudine, oculis ſcintillantibus, intermittente pulſu, horripilatione, eruptio miliaris alba, iudicium per haemorrhagiam narium, diarrhoeam, ulcera modo purulenta modo ſanioſa per totum corpus.

Spec. VII. Scarlatina bilioſa WITHERINGII: pulſus parvus, debilis, celer, urina pauca naturali ſimilis, lingua humida flaveſcente obducta muco, dolor faucium, aphtae, nauſea, vomitus ſpontaneus bilioſus cum levamine, in iudicio ſaepius parotides abſcedentes.

Spec. VIII. Scarlatina cauſodes WITHERINGII: pulſus parvus, debilis, celer, ſumma virium deiectio, delirium mox ab inſultu, calor

urens ſiccus, os aridum, lingua aſpera, fuſca, ſicca, labia nigra, fiſſa, anorexia, oculi rutili, caliginoſi, retracti, efflorescentia ſcarlatina fuſca, vix notabiliter dolent fauces, accedente diarrhoea, 4ta mors.

Spec. IX. Scarlatina petechialis WITHERINGII: pulſus celerrimus, irregularis, ſumma virium motricium debilitas efflorescentia ſcarlatina mox prima die, aſt maculoſa, lata, diſcreta, variabilis ſtigmata rotunda exilia, livida in pectore cubitis & cruribus, ſaepe cum ſumma anxietate, & inquietudine ſupervenientia, crebra ſuſpiria, ſitis, effluxus, liquidi ore retenti, involuntarius, ſtupor, pauciſſimi evadunt.

Quas diverſi obſervatores ſcarlatinae deſcriptiones dedere, ſuccincte enarravimus, ſi quoque, quam illi adhibuere curandi methodum, paucis exponamus, non iniucundum fore exiſtimamus.

SENNERTUS vult, ut naturae vitioſam quae materiem per ambitum corporis eliminare nititur, Medicus opem ferat, quod, ſi humores pravi tollantur, eorum tenuitas, vel craſſities & fervor corrigantur, viae aperiantur clauſae, malignitati reſiſtatur naturae expellentis, conatus ad cutim adiuvetur, ſymptomatum vehementia avertatur, atque partis, ſive internae, ſive externae laeſio praecaveatur, obtinendum exiſtimat. Ve-

nae ſectionem in infantibus reiicit cum TRINCAVELLIO, illam praeter rationem praeprimis in morbillis, ad quos & ſcarlatinam refert fieri exiſtimans; vires enim tenellorum hanc non ferre, & ſaepiſſime malum inde eventum ſequi, atque licet res quandoque bene ſuccedere videatur, id fortunae potius, quam rationi tribuendum, aſſeverat, in adultis tamen, ſi plethora urgeat, illam non caſtigat. Alvi deiectionem in eo tantum caſu, quo alvus adſtricta eſt, commendat, ad illam autem vel clyſmata ſolum, vel blandiſſima adhibere iubet remedia, ne conatus naturae in expellendo turbetur, & periculoſum alvi profluvium excitetur. Remedia quibus indicationes ſuperiores adimpleat, ex iis ſeligit, quae iuxta medicorum tum temporis ſenſum, & expellendi & refrigerandi, atque malignitati reſiſtendi virtute praedita forent. Inter expellentia, ſemina foeniculi, napi, cardui benedicti, aquilegiae, citri, rad. dictamini albi, pimpinellae, capilli veneris, flores calendulae, herbam ſcordii, ſcabioſae, praeterea ciceres, ficus, myrrham, mithridatium, & diaſcordium refert, malignitati reſiſtendo, cornu cervi, lapidem bezoar, corallia, margaritas, laudat, refrigerandi autem ſcopo acetoſam, acetoſellam, lactucam, nymphaeam, portulacam, hordeum, pruna acida, endiviam, cichoreum, plantaginem, ſuccum citri, limoniornm, oxicra-

ta, rob ribeſiorum, vinum granorum, & gummi tragacanthae commendat. Refrigerantia autem ab initio dum febris multum ferveat, & expellentia, dum exanthemata prodeunt, vult adhiberi. Ratione diaetae, aegrum omni cura & ſtudio ab aere frigido arcendum, monet, illum tamen nimio torqueri aeſtu, ne viribus aegri exhauſtis materia morbi ſubſiſtat, improbat, victum ſuadet tenuem, & ova, carnes, iura carnium, quod nimium nutriunt, fructus autem horaeos aeſtivos, quod facile putreſcunt, reprehendit, pro potu vel cereviſiam tenuem, vel aquam hordei cum ſucco citri, granatorum, ribeſiorum adhibenda ſuadet, vinum autem, praeprimis ante eruptionem, reprobat. Haec ille, atque indicationes clariſſimi illius Medici vix quis reprehendat, quod ſi autem illum, pellendae ad ſuperficiem corporis materiae, quis nimis ſtudioſum fuiſſe, atque inutilia malignitati arma ab illo opponi, vitio habeat, communi Medicorum tum temporis opinione ductum, cum potiora necdum innotuerint, non gravetur. Idem de nimio aeris frigidioris metu, fructum horaeorum putreſcentia habeatur, neque, cum undique a nimio aeſtu moneat, SENNERTUM admodum in praxi circumſpectum fuiſſe, dubitandum.

Circumſpectum minus & alexipharmacae methodo magis deditum MORTONUM habemus,

qui ſcarlatinam & morbillos eundem morbum exiſtimans, ut peſſumdati a venenato miaſmate ſpiritus erigerentur, atque humorum colliquatio averteretur, unice intendebat, quare ut ſpirituum expanſionem obtineret, quibus totum negotium abſolvendum exiſtimabat, alexipharmaca, & corticem peruvianum, & veſicatoria laudat; inter remedia aquam cinamomi, ſyrup. caryophilorum, radicem ſerpentar., bezoard. orientus, lapid. contraierv., theriac. androm., confect. fracaſt., mithridat., haeque in primo ſtadio commendat, quod ſi autem tum graviores eveniant ſpaſmi, atque ſpiritus (quod vix non ſemper factum exiſtimo) expandantur nimium, tum cordialibus illos compeſcendos ſuadet, atque ad haec & bolum ex confect. mitridat. cum pulveris de gutteta āā portione, additis gut. vj. vel viij. laudan. liquid. Helmont. ſuperbibendo iulapium ex aquis flor. til., rut., poeon., bryon. compoſ., Tinct. caſtorei, & ſpiritus ſalis ammon. adhibenda ſuadet, ut efflorefcentia debita obtineatur. Tuſſim bechicis, ophthalmiam colliriis temperatis, diarrhoeam autem adſtringentibus coercenda autumat; *in ſtadio autem ſecundo* (ipſa ſunt MORTONI verba) *ubi febris a ſpirituum expanſione, poſt efflorefcentiam inceptam ad* Ακμιν *provecta, ad ſtatum ſuum pervenerit, indeque genium ſuum mutando, ſaltem ubi morbus fuerit genuinus ac benignus, ſpeciem*

febris vere inflammatoriae induerit, & omnia indicia malignitatis penitus evanuerint, nova plane Tragoedia agitur, in qua nova ſymptomata novam ſtragem edunt, indicationes etiam plane diverſae, vel penitus contrariae ſaepius miniſtrantur, eaeque eiuſmodi, quae non tantum opiata exhiberi, & venae ſectionem celebrari & repeti cum fructu permittunt, ſed etiam nonnumquam poſtulant, & cardo totius curationis in eius uſu vertitur. Ea ratione ignem primo in ſtadio accendere; MORTONUS iubet, quem ſummo cum aegri damno, numquam maximo abſque periculo extinguat in altero, neque deſcriptam a MORTONO epidemiam crudeliſſimam fuiſſe mirum, cum illam calidiſſimis remediis omni ſtudio exaſperaverit. Adeo eximii ceterum viri, Naturam dubiae poſtponentes Theoriae, decipiuntur.

Aſt feliciore & prudenti magis methodo ſcarlatinam SYDENHAMIUS tractavit; benignam cum obſervaverat, rem ferme omnem naturae commiſit: *nil quicquam molior*, (inquit) *quo minus ſanguis ſibi despumando, & materiae peccanti, quae ſatis prompte ſeparatur, per poros cutis ablegandae vacet, quam ob rem & a venae ſectione & ab enematum usu, tum ex altera parte ab exhibendis cardiacis mihi tempero, ne vel motus naturae magis congruus suflamminetur, vel pro pacata leni illa ſeparatione ſanguis impetuoſius exa-*

gitetur, satis habeo ut aeger a carnibus abſtineat, & a liquoribus spirituoſis quibuscumque, neque foras usquam prodeat; neque tamen se perpetim lecto affigat. Cute iam penitus desquamata & ceſſantibus symptomatis; e re fore exiſtimo, ut purgetur aeger leni aliquo medicamento &c. Si plus negotii aegro faceſſamus vel lectulis incontinenter incarcerando, vel cardiacis aliisque remediis supervacaneis (nimis docte) secundum artem supra modum ingeſtis, morbus ſtatim extenditur, & aeger non raro nulla alia de cauſſa, quam nimia medici diligentia, ad plures migrat.

Aeque ſimplex atque ab omni alexipharmaca methodo aliena eſt illa PELARGI; a pellentibus medicamentis quam maxime monet, neque per totum morbi decurſum quid aliud quam mixturam, quam refrigerantem dicit, atque potiunculam diluentem adhibet, prior ex Tinct. papav. rhead. M. & ſpiritus nitri dulc., altera ex aquis ceraſ. nigr. flor. acaciar. cum ſyrup. papav. rh. confecta eſt: in comate, deliriis, epilepticis inſultibus, ſuris veſicatorium admovet, & ubi vel vomitus, vel diarrhoea gravius urgent, Tinct. rhei cum Tinct. caſcarillae guttatim exhibet. Haecque tractandi ratio adeo feliciter illi ſucceſſit, ut inter ducentos aegros, quinque tantum letho ereptos, doluerit.

Compoſita iam magis eſt HUXAMII metho-

dus, venae ſectionem reprobans, ab initio vocatus, ſi alvus obſtipata eſſet, clyſma praeſcribit, diarrhoeam autem cum paucis quibuſdam granis rhei toſti & ſpeciebus e ſcordio, vel decocto fracaſtorii Fulleri cohibet, nauſea & vomitu urgentibus, lene aliquod emeticum adhibet, primis viis ita expurgatis, mixturam ex ſale volatil. C. C. cum ſucco limoniorum, paucis granis camphor. & Pulvere contraierv. comp. myrrhae, & croci, vel iulapium ex aceto camphorat. cum ſyrup. rub. idaei, ad 3tiam uſque diem exhibet, tum autem Tinct. corticis P. addendam curat, queis ſudorem moderatum, aequalem, & univerſalem, optimo cum levamine obtineri contendit; cum his largum potum ex decocto hordei, vel avenae commendat, ſuperioribuſque elixirium vitrioli cum Tinct. corticis P. atque infuſione ex malis aurantiis toſtis cum vino rubro interponit; pro gargariſmate vel decoctum ficuum cum roſ. rubris vel vinum auſterum cum myrrha, & melle, vel mucilaginem e ſeminibus cydoniorum & ſyrup. rub. idaei adhibet, deſuper vaporem e floribus roſar. rubr. chamomil., myrrha, & camphora, in aceto vini coctis naribus hauriendum, praecipit, his veſicatoria in nucha & auribus adiungit. Ceterum circa finem morbi lenia cathartica quam maxime commendat, queis neglectis aeſtum febrilem protrahi, neque

appetitum redire, atque magnam debilitatem, abdomen tumidum, inſignes glandularum obſtructiones effici affirmat. Haecticae, huic morbo quandoque ſupervenienti, lac aſininum, & aerem ruralem opponit.

Aliam in Gallia curatoriam methodum NAVIER adhibuit, hic ab initio venam in brachio & urgente delirio vel comate in iugulo ſecandam ſuadet, in pede autem, quod varia incommoda ſaepius ſupervenerint, reprobat. Poſtea ſerum lactis tamarindinatum pro largo potu commendat. Impedita ob tumorem ac ardorem faucium deglutitione, veſicatoria inter ſcapulas apponit, atque refrenando ſtatu ſolidorum ſpaſmodico, paregorica parva doſi opponit, libera autem deglutitione, lenibus catharticis alvum ducit, quibus paregorica maiori ſubiungit doſi.

Cl. PLENCIZ, qui ſcarlatinam, noſtris in regionibus, morbis inflammatoriis adnumerat, venae ſectionem, & quidem debita quantitate praecipit, tum vel nuchae vel pedibus veſicatoria imponit, atque mitia crebrius enemata iniicienda curat, cum his decocta diluentia & temperantia, emulſiones, iulapia antiphlogiſtica, additis ſpiritus nitri dulc. vel ſulphuris per campanam dephlegmato iungit, quibus corticem peruvianum tanquam ſummum antiſepticum praedicat addendum, hydrogalam laudat plurimum, &

ubi a ſaucium ſtrangulatione, ob intumeſcentiam tonſillarum, ſuffocatio metuenda, praeter cataplaſmata emollientia extus impoſita, ſanguiſugas iugulo applicandas commendat, ad inquietudinem, vigiliaſque pacandas, anodina & paregorica exhibet, avertendae leucophlegmatiae, quam frequentiſſimam vidit, tranſpirationem ſuperato etiam morbo, ac diureſin movere, & tandem ſolida roborare iubet, quare aeger aliquamdiu adhuc lecto detineatur, ac a liberiore caveat aere, corpus pannis laneis, fumo aromatico quodam imbutis, fricetur, & decocta ex radicibus aperientibus cum herbis leniter balſamicis, vel infuſum baccarum iuniperi propinentur, quibus Tinct. rhei cum Tinct. Martis pomata ſocientur. Neque poſſumus quin monitum hiſce a Cl. auctore additum, (quippe pag. 100. ad 109. exanthemata ad acriſias reducendo, illorum rationem habendam, reprobare videtur) propriis adducamus verbis, ut incertae ſaepius theoriae fidam experientiam proprio auctoris exemplo praeferendam pateat. *Scio quidem & praevideo* (inquit) *quod mea conſilia de vitando aere libero, aut de aegris in lecto detinendis multis inexpertis paradoxa videbuntur, interim ſufficiat dicere; quod experientia doctus haec ſcribam, haec ſentiam.*

Scarlatinam Cl. BRUNING decoctis pro potu acidulis, iulapiis, ex Tinct.. papav. rhead.

cum

tum ſpiritu nitri dulc., vel ſulphuris per campanam dephlegmat., vel ſpiritu vitrioli, aceto etiam aggreditur, nitri uſum cautum praecipit, lethalem υπερκαδ αρσιν' ex eo plus ſemel vidit. Victum tenuem acidiuſculum commendat, laudat quoque veſicatoria, quae iam a morbi initio primum ſuris, pro re nata & inter ſcapulas, & cervici appoſita, per omnem morbi decurſum aperta ſervat, demum viribus vitae cortice peruviano proſpicit, quo corruptam morbi materiam corrigi, & fomitem mali extingui poſſe autumat; notat tamen tutius datum fuiſſe corticem, quibus pulſus parvus, contractus & inaequalis erat, quam illis ubi plenus multus & ordinatior erat. His lenia ex rheo, tamarindis, cremore Tartari laxantia, atque deglutitione impedita, enemata interponit, faucibus autem gargariſmata emollientia cum oximelle adhibet, ſimiliaque cataplaſmata ex floribus ſambuci, chamomillae, meliloti, farina ſeminum lini, imponenda ſuadet. Ceterum venae ſectionem, & vomitoria, improbat, aegrum crebrius extra lectum, & ſi fieri poſſit in aere perflabili ſervandum iubet, neque criticas evacuationes exſpectandas monet.

Probat ferme quoad omnia methodum antiſepticam Cl. WITHERINGIUS, aſt alvi ductionem, & venae ſectionem reprehendit, ac prae reliquis vomitoria commendat.

Coniideratis, quae de laudatorum hactenus auctorum methodis retulimus, quoſdam ſcarlatinam alexipharmacis aggredi, alios rem ferme naturae committere, quoſdam methodum antiphlogiſticam adhibere, alios antiſepticis potiſſimum inſiſtere apparet. Quaenam autem praeprimis conducere nobis videatur, tum demum determinare liceat, cum quaedam de morbi illius principiis diſſeruerimus.

Atmoſphaerae conſtitutionem ad morbos epidemicos quid conferre extra dubium, humidam autem & variabilem ſcarlatinae praeprimis favere videtur, humida tempeſtate in Anglia HUXHAMIUS, humida quoque tempeſtate Eſſidae hance febrem irrepſiſſe Cl. BRUNINGIUS teſtantur, atque quod illa ex dictorum, atque SENNERTI, SYDENHAMII, PELARGI, noſtraque obſervatione circa aequinoctia ſaevire potiſſimum ſoleat, ſolitis tum temporis atmoſphaerae viciſſitudinibus, quibus tranſpiratio quam maxime afficitur, adſcribendum videtur. Neque tamen ad aeris inclementiam ſolum referri poterit, quod ad nos, ut ſuperius apparet, fervidiſſimo caelo pervenit, atque cum ſub eadem aeris conſtitutione vicina loca, ſimul non aggrediatur, quis ſcarlatinam aeri ſolum tribuat. Mannhemii & Heidelbergae, duobus tantum inter ſe milliaribus diſtantibus, eadem habetur tempeſtas, & tamen ineunte Man-

nhemium vere, ad nos autem aeſtatis vigore pervenit. Aeque parum victui adſcribi poterit, etenim licet in generandis humoribus victum conferre potiſſimum, ac proin ab alimentorum depravatione humorum corruptelam facile largiamur, haec quidam ſcarlatinam graviorem reddere, & diverſas producere ſpecies videtur, minime tamen, cur ſcarlatina potius quam alius producatur morbus, intelligitur, denique bonae indolis, neque reliquis cariora annis victualia erant, dum ſcarlatina ad nos pervenit. Quare peculiari adſcribatur miaſmati, quod mitius ab initio apud nos, in corporibus bene nutritis atque ob atmoſphaerae calorem iugiter perſpirantibus, leviorem induxit morbum, aſt ſordidis aegrorum effluviis exaltatum, acri a calore aeſtivo in corporibus nato, & ob humiditatem retento, illum & graviorem & frequentiorem reddidit, donec a frigore, (ſcarlatinam tum mitiorem fieri communis eſt obſervatio) mitigatum, tandem extinctum eſt. Miaſma illud noſtris Mannhemio advectum exiſtimamus. Iulio enim, quo primum haec febris noſtros invaſit, maximo nobis tempore, ventus ex occidente fuit, quo ſane atmoſphaera Mannheimenſis, miaſmate ſcarlatino foeta, nobis afflari debuit. Qui ſitum Heidelbergae ad orientem Mannhemii intra duos montes ad occaſum patentes noverit, ab Eteſiis, diſperſa in Mannheimenſi

planitie miaſmata, Heidelbergam deportari, non mirabitur. Nolumus peculiarem illius miaſmatis indolem, ſpiſſa adhuc obſcuritate tectam, curioſius diſquirere. Peculiaris tamen indolis eſſe, propriamque habere naturam videtur, quippe proprium ſcarlatina morbum ſiſtit, neque ab infectione, quod ab Cl. PLENCIZ quoque notatum, unquam alius inducitur morbus: contagioſum quoque eſt, raro enim, ſi quis infans in domo quadam decumbit, reliqui, ſi qui adſint, non afficiuntur, ſolidorum tamen habitus faveat, ex quo, cur infantes praeprimis, atque inter adultos, quibus tenerior conſtitutio, huic morbo obnoxii ſunt, explicandum videtur.

Miaſma illud intra corpus ſuſceptum niſi illico a viribus vitae eliminetur, ſed ob peculiarem tum ſolidorum tum fluvidorum conſtitutionem, humoribus admiſcetur, acredine quadam tenuiores imbuit, quam ob rem natura per horumce vaſa noxi eliminationem pro parte ſuſcipere videtur, hinc ad cutim tam diu demandare, donec debita coctione peccans materia omnimode ſubacta & ſuperata e corpore eliminari poſſit. Hoc ſane illis minus arridebit, qui cuncta exanthemata tanquam funeſta, ſymptomatis omni modo impugnandis adnumerantes, illa potius avertenda & impedienda, quam pro ſalutari naturae habenda conamine, ſentiunt. Aſt pace horum virorum, cur ab omnibus

practicis exanthematum retroceſſus adeo pernicioſus habetur ? cur omnes in eo, pernicioſa a retrocedentibus exanthematibus ſymptomata, haud prius quam his demum redeuntibus, ſuperari poſſe, collimant, retroceſſum variolarum, milliarium, ſummo cum vitae periculo ſieri omnibus ſane notum, & quaeſo, cur ipſa ſcarlatina periculoſior, ſi exanthemata non iugiter prodeant, ſed variabilia ſedem mutant. Peſſimam eiuſmodi ſcarlatinae ſpeciem WITHERINGIUS enarrat, atque omnes inconſtantem exanthematum in illa febri efflorefcentiam pro malo habent ſigno. *Quando erruptio praemature & ſubito retrocedebat, quodlibet ſymptoma in peius ruebat & maximum imminebat periculum*, inquit HUXHAMIUS (*a*), *quando ſcarlatina ſedem mutat, hoc eſt quando nunc una, nunc altera pars corporis magis rubere videtur, aut quando univerſaliter in ambitu corporis nunc maior, nunc minor apparet rubedo, metuendum eſt, ne in aliqua interna corporis partem ſedem figat, ſicque periculum augeat: haec* Cl. PLENCIZ (*b*), Cl. BRUNING (*c*) *ambulatoria exanthematum natura dum mox emergunt, mox recedunt, ubique*

(*a*) L. c. p. 106.
(*b*) L. c. p. 87.
(*c*) L. c. p. 40.

periculoſa . Salutaris itaque illius materiae , quae ruborem ſcarlatinum efficit , ad cutim decubitus eſt , atque licet non ſemper morbus mitior evadat , quod materiae tribuendum copiae , ut plurimum tamen , nata efflorefcentia , & anxietas , & inquietudo , & reſpiratio laborioſa , vel minuuntur vel ceſſant , manifeſto ſublevatae naturae indicio . Qui nulla , quam quae critice morbum iudicant , ſalutaria in morbis admittunt ſymptomata , graviter érrare videntur , quod ſi enim , convenientibus Veteribus cunctis , & Recentiorum praeſtantiſſimis , natura morborum medicatrix habeatur , quod per materiae morbificae coctionem fieri neceſſe eſt) ſane motus (& hi profecto ſymptomata ſunt) quibus illa peragitur , ſalutares habeantur . Non ne toties in morbis excretiones cernuntur , quae , in ſtatu accedentes , morbum minime iudicant , & quas tamen turbare , providi vetant practici ? quippe ſub horum auſpicio decurſus manifeſte mitior deprehenditur , vomitum , & haemorrhagiam narium in ſcarlatina Cl. BRUNINGIUS , *(a)* in eadem madorem cum effloreſcentia perſiſtentem HUXHAMIUS , *(b)* ſalutaria deprehendere , ſudor moderatus in febribus catarrhalibus , diarrhoea ſpontanea , in bilioſis , ſputa

(*a*) L. c. p.
(*b*) L. c. p.

cocta in pleuriticis & peripneumonicis ab omnibus practicis proficere obſervantur.

Quare, ut cuncta, quae ſcarlatinae depoſitionem materiae ad cutim impediunt, removeantur, generalis & primaria indicatio habeatur, turgeſcentia, ſiqua adſit, removeatur, coctio promoveatur, urgentioribus ſuccurratur ſymptomatis, & tandem coctae excretio materiae, modo naturae convenientiſſimo inſtituatur.

Atque cum vehementior febris, qualem ex vigore, magnitudine, & celeritate pulſus, atque aeſtu aeſtimamus, pacatam ac lenem, (ut cum SYDENHAMIO loquar) materiae peccantis ſeparationem haud permittit, haec debite evacuato ſanguine imminuatur, omniaque, quibus exaſperetur, vitentur. Exulent ergo quaevis alexipharmaca, & quaecumque ſanguinem magis exagitare valent, ipſa veſicatoria, niſi ſanguine prius ſedato, ſuſpecta ſint.

Aſt ubi ex pulſu parvo, debili, & celeri, cum ſumma laſſitudine fractas naturae vires intelligimus, hae ſane erigendae ſunt, huc moderatus vini uſus, acetum, infuſa herbarum & florum leniter balſamicarum, ſpiritus acidi dulcificati, aer debite renovatus & apricus, veſicatoria conducunt neque quidquam, quo natura magis proſtretur, moliatur, quo venae ſectiones, aliaſque evacuationes vehementiores ex artificio inſtitutas, referi-

mus. Cutis quoque eo in ſtatu, ut commode exanthematicum ad illam deponi poſſit, ratio habeatur, quare aeger in lecto, & licet leviter, opertus tamen ſervetur.

Mala ſemper in omni aegritudine perverſa in primis viis turgeſcens materia eſt, quam nauſea, conatus vomendi, vomitus, ſapor in ore perverſus, lingua ſordida, inappetentia produnt, hinc ab HIPPOCRATIS ad noſtra uſque tempora, provide removenda commendatur, in ſcarlatina id per mitia vomitoria perficiendum videtur, quippe vomitoria corruptum breviſſima educunt via, quod citra notabilem humorum perditionem, quae vires deiicit, per illa obtineri poteſt, dum leviore impreſſo naturae ſtimulo, mitique excitato madore exanthematum efflorescentiam iuvant. Tartarus vero emeticus (grana tria aut quatuor in lib. j. aquae fontan. ſoluta, ad unc. iij. circiter in adultis, in infantibus autem ad cochleare j. vel ij. omni ſeſquihorio ad vomitum uſque a me adhiberi ſolent) plurimum dilutus, prae reliquis convenire videtur, cum ea ratione illius efficacia pro re nata dirigi poſſit, atque ille praeter vim emeticam, & leniter incidentem, atque diaphoreticam habeat, ob quam in affectionibus arthriticis, & rheumaticis ab HUXHAMIO adeo commendatur. Vomitoriorum in ſcarlatina utilitas ſumma, non noſtra ſolum,

ſed & HUXHAMII & WITHERINGII obſervatione habetur. *Quod ſi nauſea & vomitus urgerent, lene emeticum inprimis adultis* (ſunt verba HUXHAMII) (*a*) *praeſcribebam, quod quoque non tam faucium dolorem augebat, ut quis putare poſſet, quam potius inſigniter minuebat, immo in infantibus neceſſe erat, ut illis cum oximelle ſquillitico aut eſſentia antimonii vomitus excitaretur, alias magna tenacis muci copia prorſus iugulabat*: maiori adhuc encomio vomitoria WITHERINGIUS (*b*) attollit, uſus emeticorum baſin, inquit, curationis anginae in febri ſcarlatina conſtituit, quid quod ab initio propinatum non raro morbum ſufflamminat, quod ſi miaſma nervos infeſtet, ulteriores illius progreſſus emeticum arcet, immo ſi mira ſubtilitate ad vaſa penetraverit capillaria, ruborem per univerſam cutem ſcarlatinum diffundendo, eo penetrat emeticum, atque anxietates, deiectiones animi, & deliria mitigat. Ipſe Cl. BRUNINGIUS (*c*) vomitoriis licet infenſus, vomitum materiae tenacis viſcidae, infantibus inſigne levamen tuliſſe, fateri cogitur. Multum profecto ad hunc ſcopum leniſſimis etiam catharticis emetica praevalent, vix

(*a*) L. c. p. 112.
(*b*) L. c.
(*c*) L. c. p. 41.

enim alvus, quin humores a cute avocentur, movebitur, quo non modo, ut acre a natura ad cutem deducendum retineatur, ſed ad inteſtina quoque ſummo cum damno derivetur, periculum eſt. Diarrhoearum in ſcarlatinae ingreſſu pernicie motus procul dubio, *quod quo purgantia in huius morbi initio minus, eo magis lenia, mitiaque, in illius fine conveniant*, HUXHAMIUS (*a*) notat: *Diarrhoea, tertia die, ſponte nata, mala eſt*, inquit BRUNINGIUS (*b*) ergo & artificialis, infero, (quippe, quo non vergit natura, non ducatur) & WITHERINGIUS diarrhoeam in ſcarlatina cauſodaea, quarta accedentem die, lethalem obſervavit, uti ſuperius retulimus.

Nullus abſque coctione morbus iudicatur; haec in ſcarlatina, acrimoniam imminuendo, promoveatur. Sola diluentia in benigniore morbo ſufficiunt, aſt in ſtatu humorum phlogiſtico & antiphlogiſtica, mitioraque antiſeptica, vi ſpiſſiorem ſolvendi materiam praedita, adhibeantur. In reſolutione humorum autem, probatiſſima antiſeptica, quibus acida mineralia, & corticem peruvianum adnumeramus, iungantur.

Inter ſcarlatinae ſymptomata quaedam, in

(*a*) L. c. p. 41.
(*b*) L. c. p. 41.

malignis potiſſimum, maxime urgent, ad quae angina, coma, delirium, diarrhoea referri merentur. Angina cum ſtatu humorum phlogiſtico venae ſectionem, ut prompta obtineatur reſolutio, expoſcit atque emollientia extus applicata, & gargariſmata leniter reſolventia ſimul in uſum veniant, aſt ſi reſolutis humoribus, acre fauces graviter erodendo, illam produxerit, cum emollientibus, pro mitigando dolore, exterius admotis, & gargariſmata ex abſtergentibus ac antiſepticis fortioribus adhibeantur, atque applicatis debite veſicatoriis, acrimonia a faucibus avocetur: coma & delirium ab acri quoque ad caput delato pendent, quod propterea ſimili modo veſicatoriis refellatur. Fortior diarrhoea, quam virium imminutio ſequitur, & a qua, ne exanthemata debite prodeant, aut, ut nata retrocedant, metuendum, ſane coercenda, ad quod cum PELARGO infuſionem caſcarillae & rhei, addito leniſſimo paregorico, aut ſi pertinacior fuerit, ipſo opio, convenire exiſtimamus.

Cocta atque ſubacta materies e corpore ducenda eſt, quod licet a natura, in hoc tamen morbo ſaepius imperfecte, perficitur uti ſuperius notavimus; quare quam primum de hac peracta conſtat, (epidermidis autem deſquamatio hanc periodum denotat) lenia, ex conſenſu probatiſſimorum auctorum, laxantia praeſcribantur; ſudor,

ſiquis percipiatur, calidis herbarum vel radicum leniſſime diaphoreticorum atque incidentium infuſionibus moderate promoveatur, quibus & urinae profluvium obtineri poterit. Infuſum radicis chinae & ſcopo diaphoretico, diuretico, atque incidente in toto morbi decurſu, mirum in modum, & in hoc praeprimis ſtadio mihi ſatisfecit, moderatum pellendo ſudorem, & copioſum urinae profluvium ſummo cum aegri levamine excitavit, quod, nutricibus propinatum, & in alumnis praeſtitit. Summe, ne corpus temporius aeri libero exponatur, denique cavendum, atque his & iudicationes imperfectas, ac pendentes inde methaſtaſes, quales ſubſequentes arthritides, ulcera, parotides, leucophlegmatiam, aliaque habemus, praecavendas exiſtimamus, quae, ſin nihilominus ingruant, quippe deficientem quandoque naturam nulla arte excitare valemus, debita cuilibet methodo erunt pertractanda.

Quod ſi ad formatas hactenus a nobis in genere indicationes, atque ad ea, quae de quibuſdam indicatis dicta fuere, reſpiciatur, cuilibet ſcarlatinae ſpeciei convenientem adhibere medelam haud difficile erit, quare peculiari, pro qualibet, methodo delineandae ſuperſedemus.

SER-

SERMO ACADEMICUS

DE

CIVIS MEDICI IN REPUBLICA CONDITIONE ATQUE OFFICIIS

EX LEGE PRAECIPUE ERUTIS

QUEM

Professionis Medicae adeundae caussa
die XXIV. Novemb. MDCCLXXXV.
recitavit

IOANNES PETRUS FRANK

MED. ET PHIL. D.

Pridem in Regia Goettingensi,

Nunc in R. I. Ticinensi Academia, Theoriae practicae & Medicinae Clinicae Professor,

Acad. R. Goettingensis & Electoralis Moguntinae Sodalis.

TICINI MDCCLXXXV.

APUD PETRUM GALEATIUM

SUPER. PERMISSU.

D E
CIVIS MEDICI
IN REPUBLICA CONDITIONE ATQUE OFFICIIS
EX LEGE PRAECIPUE ERUTIS.

QUi fraterno inter ſe vinculo conſtricti, Rempublicam cives efficiunt, ii catenam conſtituunt, cuius innumeri annuli, magnitudine quidem inaequales ſunt; ſed quorum nullus aut obduci rubigine, aut ab alio alius, ſine totius vitio, poteſt diſſolvi.

Quodſi *Medici*, in tam longa annulorum ſerie, locum, & diverſum cum aliis nexum conſiderem PATRES *ſapientiſſimi* & AUDITORES *honoratiſſimi*: Videor mihi non indignam vobis elegiſſe orationis hodiernae materiam, & quâ, tum meam in Academiae huius celeberrimae gremium aſſumptionem honorificam nunc auſpicer, tum, pro officii mei ratione, in conſpectu veſtro ampliſſimo, mox ab iis exordiar, quae Reſpublica tum *medico ordini* liberaliter conceſſe-

rit, tum a Viro Medico, ut *cive* ſuo, exſpectanda, — & ad quae tandem ſe ex illis quiſque, ſi boni civis locum & honores ambiat, habeat praeparandum.

In ea ſemper me verſatum eſſe opinione fateor Auditores, paucis tantummodo mortalibus tam rudem tamque perverſum eſſe animum, ut, ſi, quid *civis*, quae loci, quem vel minimus ex his occupat, ſit dignitas, quae muneris ſui natura & ratio, quae denique a ſuo in Republica loco, in ipſum reduntent bona, non omnino ignoret, — tantarum rerum obliviſci, propriaeque ſic dignitati ſtultiſſime queat renunciare. Quodſi haec omnia, pro illis, qui artem ſalutarem in Republica profitentur, longe maiora ſint, & officii huius ratio finiſque ultimus, obiectum, quod aſſequatur, niſi *Reipublicae conſervationem*, aliud non habeat: Vereor omnino, ne materiarum exponendarum copia, in tanto Virorum illuſtriſſimorum & celeberrimorum conſeſſu, me potius obruat; neve obiectorum orationis meae nobilitas, quamvis hoc loco dignissima, me, tenuem certe Oratorem, confundat, & exſpectationi Veſtrae parum ſatisfaciat. Contingit enim & haec mihi hodie difficultas, quod in eo ipſo loco, quo Profeſſorium munus in me ſuſcepturus ſum, ſummos in arte Viros, VALCARENGHIUM, BURSERIUM,

atque TISSOTUM conſediſſe non ignorem: ita ut, niſi veſtrae in me, quamvis natione peregrinum Vobis Virum, benevolentiae iam tanta dediſſetis pignora, — niſi gratitudinis propriae, & fervoris, de Vobis & Republica bene merendi, mihi tam intime eſſem conſcius, — niſi demum GEORGIA AUGUSTA, cuius ſemper magnum nomen & apud *Germanos* fuit, & apud omnes, qui litteras colunt, populos ſemper erit, me non indignum iudicaviſſet, cui cathedram *praxeos Medicae*, illuſtriſſimorum etiam Virorum, RICHTERI, SCHROEDERI, BRENDELII, VOGELII, BALDINGERI, nominibus condecoratam, aſcenderem, — ut, niſi haec, inquam, prae oculis haberem, non ſine arrogantia hic poſſem, vel ſine erubeſcentia, comparere.

In exponendis vero *Civis Medici* in Republica conditione & officiis, inter alios, magna cum felicitate verſati ſunt Ioannes BOHNIUS (*a*) & Iohn GREGORY (*b*): ita ut eiuſmodi laboribus aliquid addere, videri debeat difficillimum. Haec materiae dignitatem demon-

---

(*a*) De officio Medici duplici, clinici nimirum ac forenſis.

(*b*) Lectures on the duties and qualifications of a Phyſician. London 1772.

ſtrant. Cum vero res omnes varias habeant, quibus conſiderari queant, ſuperficies, &c, ſub alia luce poſitae, obiecta exhibere videantur oculis diverſiſſima; ſupererunt aliqua non infimi ponderis & a me quoque cum fructu aliquo pertractanda. In his vero breviter quidem, ſed ita verſabor: ut *primum*, quem in Republica Medicus locum occupet, quidve *leges Medicorum ordini* praecipue conceſſerint; — *ſecundo* vero, quem Reipublicae ſe exhibendum habeat, lege id iubente, *Medicus*, & quibus eidem officiis adſtringatur, ne Veſtra demum abutar patientia, abſque ambagine exponam.

Qui artis ſuae Apologiam in ſe ſuſcipiunt; ii, more veterum, qui vix non omni Reipublicae pro fundatoribus vel Deos ipſos, vel Deorum ſaltem filios concedunt, — prima illius initia talia deducunt, ut ſcientia altera non ſit, quae parem illi nobilitatem originis audeat diſputare. Poſſem & ego, Auditores, ſi arti, vel a titulis, vel a perſonis, quibus familiaris fuit, *ſola nativitate* illuſtribus, aliquid accederet, & *Deos* hic nominare & *Reges Medicos* (*a*); ſed fatear potius ingenue, *Medicinam* ex infami

---

(*a*) Vid. HUNDERTMARK Exercitatio de principiis Med. tutelar.

plane concubitu eſſe progenitam !... Vitia enim & turpitudines hominum, artis illius matrem, patrem vero deſperatio ſe exhibent : qua ſinguli mortales ad ea tandem audenda feruntur, quae non niſi a genitoribus iſtis, poſſunt exſpectari. Solus homo, ſi perpauca excipiamus animalia, quae aliquo, in morbis longe ſimplicioribus, *inſtinctu*, ad haec vel illa feruntur (*a*), medicinam quaerit, mortemque armis ab ipſa natura conceſſis avertere auſus eſt; quae, ſi faciendorum *ratio* & *experientia* defuerint, a *caſu fortuito* deſumere maluit, quam victas huic ultimo generis ſui inimico manus tradere.

Primis certe temporibus, Medicinam omnes illi tentabant, qui huic, vel alteri aegroto conſilium aliquod ſucceſſiſſe, vel auditu comperant, vel propriis oculis aut viderant, aut ſaltem vidiſſe credebant. „ Apud *Babylonios* etiam, ait HERODOTUS (*b*), haec lex ſapientiſſima lata eſt, ut aegrotantes in forum deportent, quoniam Medicis omnino deſtituuntur. VULGUS MEDICUS

(*a*) Non valde multum tribuas huic fonti Medicinae ! HALLER, bibliotheca Medic. pract. T. I. p. 3.

(*b*) HERODOTUS lib. 1. cap. 197. Edit. Iac. Gronovii.

Accedentes igitur ad aegrotum, inter ſe conſultant, ſi quis forte ipſemet eodem morbo laboraverit, aut alium laborantem vidiſſe ſe meminerit. Conſulunt itaque facere idem, quod alii ad ſalutem fecerunt, nec fas eſt quemquam tacite praeterire decumbentem. Si nihil aliud, tamen de morbo percunctari neceſſe eſt". Expoſito ſic, apud omnes fere Orientis populos, in foro & viis publicis, miſerorum κϐάϐϐατῳ ſeu lectulo (*a*), praetereuntium conſilia expetebantur, & credebant, referente de *Aſſyriis* STRABONE „ neminem tam improbum fore, qui, ſciens, non impertiretur (*b*). " Piaculum ergo tunc fuit, *Medicum* non eſſe, atque praeterire eiuſmodi *publice expoſitos*, antequam quis ad eorum reficiendam ſalutem, qualemcunque ſuam contuliſſet operam (*c*). Eandem plane conſuetudinem & *Aegyptii* & *Luſitani* obſervarunt: hiſce vero non contenti, tum apud *Graecos*, tum *Romanos*, & *Deo incubare*, Medicinae exigendae gratia, in *Aeſculapii* fano aliiſque

---

(*a*) Genus *lecticae* fuiſſe, ait SCULTETUS; Exercitat. Evangel. L. I. c. 97.

(*b*) STRABO, Geographiae Lib. XVI. Edit. Almelovenii; p. 1082.

(*c*) Vid. HUNDERTMARK artis Medicae per aegrotorum apud Veteres in vias publicas & templa expoſitionem incrementa.

templis, aegrotos fecerunt, non ſine praemiſſis, quibus numina ſibi propitia redderentur, & ad mittenda *ſomnia laeta* incitarentur, conditionibus: a cibo enim & potu, ut Deorum commercio digniores accederent, per aliquot dies abſtinebant, arietes & oves immolabant, quorum *pellibus* ſubſtratis incubantes, ſibi *Deos* non defuturos eſſe confidebant (*a*). Antequam vero ſacrificium arae imponeretur, luſtrari lavarique oportebat: tum in templo decumbere & ſomnum capere. Quieſcentibus *Sacerdos*, *Aeſculapii* habitu indutus, comitante filiarum caterva, accedebat, neceſſaria aegroto adminiſtraturus (*b*). *Romani*, ſi quos *ſervos* in *inſulam Aeſculapii*, quod nonniſi cum deſperatis facere amabant, expoſuiſſent, Deoque curandos ſic commiſiſſent: lex ſanctiſſima omnes *liberos* eſſe ſanxit, nec redire in ditionem Domini, ſi convaluiſſent. Quodſi vero necare quem mallet, quam *exponere*; caedis crimine reum legislator eſſe voluit (*c*).

(*a*) PAUSANIAS, in Atticis; c. XXXIV. p. 84. VIRGILIUS, Aeneid. Lib. VII. v. 85.

(*b*) H. MEIBOMIUS, Diſſertat. de incubatione in fanis Deorum Medicinae cauſſa olim facta.

(*c*) SVETONIUS, in *Tib. Claud. Caeſar.* cap. 75.

SACERDOTES MEDICI.

Qui vero hiſce Deorum conſiliis ſeſe reſtitutos credebant, ii *Aeſculapii reſponſa*, in gratae mentis teſſeram, ſi ditiores eſſent, *columnis* incidi, ſi tenuioris ſortis, *tabulis* inſcribi & in templo ſuſpendi curabant (*a*). Mos iſte eo magis Sacerdotibus *Aegyptiis* in uſu; cum liberati morbo, in templis ſcriberent, quid profuiſſet (*b*); & ne ſacra illa arcana cuivis ex *Vulgo* in propatulo eſſent, ſacrorum Miniſtri ea aut hieroglyphicis figuris conſignabant, aut ſacrario conſcripta deponebant (*c*). Sic ideo *Sacerdotes* maiorem ſibi conſiliorum partem mox reddentes propriam, atque ex quotidiana occaſione *ſacrificandorum animalium*, atque ex *condiendorum*, apud *Aegyptios*, *cadaverum* conſuetudine, vitia & defectus in his obvios examinandi, prae caeteris civibus, animalis oeconomiae myſteriis initiati, *artem* ſibi ſacram fecerunt (*d*). Nulli certe, niſi ex *Sacerdotali*

(*a*) Nunc Dea, nunc ſucurre mihi, nam poſſe mederi,
Picta docet templis multa *tabella* tuis.
De Iſidei templo, TIBULLUS, *L. I. Eleg.* 3.

(*b*) PLINIUS Hiſtor. natural. Lib. XXIX. c. I.

(*c*) Vid. Henr. LAMPE, Diſſert. hiſtorico iuridica, de honore, privilegiis & iuribus ſingularibus Medicorum; p. 43.

(*d*) In *Aegypto*, Reges corpora mortuorum *ad ſcrutandos morbos* inſecuiſſe, teſtatur PLINIUS, Hiſt. nat. XIX. 5.

ordine, Medicinam facere in *Aegypto* licebat (*a*). Hic ex *ſacris libris* curabat: quorum *ſex*, ex *quadraginta duobus*, ab *hermete* conſcriptis, *Medicinae* quaſi *corpus* conſtituebant, & praecipue de conſtructione corporis, de morbis, de inſtrumentis, de oculis, & poſtremo de mulieribus tractabant, quarum rerum cura & ſtudium *Paſtophoris*, ſeu Sacerdotibus pallio diſtinctis, committebatur (*b*). Neque apud *Graecos* alia conſuetudo obtinuit. Sic enim iam ACHILLES, cum Graecorum exercitus, in obſidione *Troiae*, peſte premeretur ſuaſit AGAMEMNONI, ut Vatem *Sacerdotem* de *peſte* conſuleret (*c*). Ipſa *Aſclepiadarum* familia Medica, per plura certe ſaecula, *Sacerdotum* ſiſtit aliquod Collegium. *Germanorum* quoque *Druidae* quondam, tam Iudicum & Conſultorum, quam Medicorum vicibus fungebantur (*d*).

Magna ſic ex ipſa Medicina aſſumpſit incrementa *Sacerdotalis* apud *Ethnicos* dignitas, at-

(*a*) DIODORUS SICULUS, Bibliothec. Hiſtor.
(*b*) CLEMENS ALEXANDRINUS Stromat. VI. p. 634. Edit. Sylburg.
(*c*) HOMERUS, Iliad. L. I. v. 62. ſeq. Vid. Chriſt. Fried. SCULTETUS, de Medicinae originibus ſacris.
(*d*) Et hoc genus *Vatum Medicorumque*; PLINIUS, Hiſt. nat. L. XXX. c. I.

que haec ipſa magnos iterum in *artem Medicam* honores contulit: ita ut vix ſciam, quid utrique potuerit accidere damnoſius, quam facta demum inter APOLLINIS, aliorumque Deorum aras, ſeparatio. Quodſi enim magnam *Artis* potentiam ex nervorum quoque dependere origine certum eſt: qui ipſi, fiduciae commotaeque *immaginationis* energia mirum in modum reguntur; certe cum *Medicina*, *Deorum* condecorata *miniſterio*, aegrotantium lectulos accederet, cum ſacra profanis miſcerentur myſteria, atque *incantationibus* auſpicaretur morborum curatio, quarum partem, ſaltem *ceremonialem*, hinc nunquam reſpuendam, faciebat *remediorum aſſumptio*: inſignes omnino in mortalium animos, hinc & corpora effectus, noſtris quoque temporibus MESMERI famoſiſſimis curationibus *magneticis* ultra confirmatos, edere oportuit. Si ex altera parte *fiduciae* maioris vires conſideraverimus, quam aegrotantes in aſſiſtentem ſibi *Sacerdotem* exercent, quantaeque ſint, ex ipſis animae penetralibus eruendae morborum origines; quid non a tantis, in uno eodemque homine medico, dotibus potuerit exſpectari!

Verum eſt, in opprobrium ſaepe, & divini ſui miniſterii, & artis, quam ſimul profitebantur, commixta ſic officia convertebant, Deoſque per artem iuvabant, artemque divinis interpretationibus.

Ipſi iam pridem *Iudaei*, referente SUIDA, in templi SALOMONIS Veſtibulo, librum remediorum omni morbo accommodatorum inciſum habuerunt, quem revulſit EZECHIAS Rex, quod populus, neglecto protinus, nec amplius invocato DEO, ſanationem exinde peteret. Sacerdotum Collegio curam medicam, & de morbis cognitionem, fuiſſe ſoli iniunctam, leges docent de *Leproſis* ſancitae (*a*). Neque *Prophetas* alienos ſemper fuiſſe a medicis conſiliis, & praeceptis ferendis, ex IESAIA diſcimus (*b*); atque *Clericos Iudaeorum*, uti in *Aegypto*, & Theologum, & Iuriſconſultum, & *Medicum* populo fuiſſe, contendit DELIUS (*c*).

His mutuis Sacerdotum Medicorumque apud Ethnicos praecipue officiis non indiguit certe *Religio Chriſtiana*, quae ſola iam, atque omni peregrino deſtituta ſplendore, mortalium animos maieſtate ſua percellit. Aſt cum in nulla alia, *Charitas* proximi, ut in illa ipſa, pro fundamento ſit: mirum eſſe non poteſt, ſi, teſtante EUSEBIO (*d*), a primis aevi chriſtiani tempo-

---

(*a*) Levit. XIII. SCHULZIUS, Hiſtoria Medicinae, p. 62.
(*b*) XXXVIII. 21. II. Reg. XX. 7.
(*c*) Der ARZT in Deutſchland in den aelteru und mitleru Zeiten. S. 10.
(*d*) Hiſtor. Eccleſ. L. III. c. 2.

ribus, *Sacerdotum*, quin & Pontificum, ſanandi artem ſimul exercentium, exempla non defuerint, neque primis ſaltem *decem* ſaeculis prohibitam Cleris artem Medicam inveniamus (*a*). Tempore *Apoſtolorum* per plateas collocabant aegrotos in lectulis, ut obeuntis *Divi* PETRI umbra obtecti convaleſcerent (*b*). In variis hinc, *decimi* quoque *tertii* ſaeculi, diplomatibus, inter teſtes referuntur Medici, qui ſe ipſos dicunt *Phyſicos* atque *Clericos* (*c*). Atque eo ipſo, quod ex *Clericorum* ordine eſſent, ſemper immediate poſt Principum *Mareſcalcos* nominabantur, uſque dum ad *Laicos* demum tranſeunte *Medicina*, inferius ſua nomina ſignabant (*d*). Et *decimo quarto* ſaeculo, *honorabilis Viri, Magiſtri Ioannis de* NORTHEIM, *Phyſici, & Eccleſiae Moguntinae ad S. Ioannem Decani*, fit mentio (*e*). In omni *Gallia*, uſque ad annum milleſimum quadringenteſimum quinquageſimum ſecundum, ars *Medica* a *Clero* fere ſolo exercebatur, Medicique abhinc matrimo-

---

(*a*) Em. GONZALEZ TELEZ ad decret. T. I. p. 489. N. 9.
(*b*) Vid. FLEURY, Hiſtoire Eccléſiaſtique, T. I, p. 12. & Act. V.
(*c*) V. GUDENII Cod. diplomat. T. V. p. 48.
(*d*) DELIUS, l. c. S. 48. 9.
(*e*) GUDENIUS, l. c. T. III. p. 834.

nium inire non poterant (*a*) ; beneficiis autem Eccleſiaſticis in Cathedralibus ſeu Metropolitanis Eccleſiis copioſe fruebantur , atque nunc quoque gaudet in Eccleſia *Cameracenſi* cl. FERRETUS , Medicinae Profeſſor (*b*) . In ipſo quoque *Imperio Romano-Germanico* , Phyſicos , i. e. Medicos , eiuſmodi *beneficiis* Eccleſiaſticis inſtructos fuiſſe , patet ex SIGISMUNDI *Imp. ordinatione* (*c*) , atque ex *Concilio Lugdunenſi* . Hinc qui ab aegrotis ſoſtra aut capiebant , aut exigebant , criminis *Simoniae* rei a Patribus habebantur (*d*).

Sed quibus demum non abutuntur rebus mortales ! . . . diſciplinâ monaſtica , animarum curâ ſaepe poſthabitis , ad aegrotantes , non primorum temporum inixi Charitatis principiis , ſed ſpe futuri lucri , & „ pro deteſtanda pecunia ſanitatem pollicentes (*e*) " , ſenſim ſenſimque allecti , accedebant quamplurimi . Unde *duodecimo* tandem ſaeculo , ab INNOCENTIO II. ,

---

(*a*) DOYEN , Eſprit des journaux , avril 1781.

(*b*) Etat de Médecine , Chirurgie & Pharmacie en Europe ; pour l' Année 1776. p. 326.

(*c*) „ Es ſoll auch in jeder Reichſtadt ein MEISTERARZT Sein ; der ſoll haben hundert gulden gelds , die mag er nieſen von einer KIRCHEN " , &c.

(*d*) V. HOSTIENS. & PANORMIT. ad c. 4. X. de Magiſtr.

(*e*) Conciles du P. LABBE .

Religioſis (ſine iniecta *Clericorum* mentione) diſcendae Medicinae facultas, in Concilio *Rhemenſi*, tam ſevere inhibita fuit : ut & Epiſcopi & Abbates „ tantae enormitati conſentientes “, propriis honoribus ſpoliandi venirent (*a*). Dein & a Concilio *Lateranenſi* haec eadem, & *legendi Medicinam* facultas, *Clericis* penitus fuit adempta (*b*). Concilium item *Montiſpeſſulanum* iniunxit : „ ſub omni ſeveritate Eccleſiaſticae diſciplinae, ne quis Monachus, vel Canonicus regularis, aut alius Religioſus ad ſaeculares leges, vel *Phyſicam*, legendas, accederet “. Ob nova tandem in contrarium tentamina, a Concilio *Turonenſi* lex nova ferebatur (*c*); & ultimo HONORIUS III., *artis Medicae* prohibitionem in Clerum omnem, perſonatum habentem, *excommunicationis* ipſo iure incurrendae, graviſſima poena addita, extendendam eſſe credidit (*d*), atque BONIFACIUS VIII. ulterius confirmavit (*e*).

Non parum ad has ipſas leges Medicinae exercitium inhibentes videtur contribuiſſe vita

(*a*) A 1131. Can. VI.
(*b*) A. 1139. Art. IX.
(*c*) A. 1180. ALEXANDER III. in c. 3. X. „ ne Clerici vel Monachi “.
(*d*) C. 10. X. „ ne Cler. vel Mon. “.
(*e*) C. 1. in 6. cit. tit.

Clericorum *coelebs* : addunt enim rationem Patres in Concilio *Montiſpeſſulano* : „ Nam magnopere , inquiunt , antiqui hoſtis invidia *infirma* Eccleſiae membra praecipitare allaborat ; ſed manum mittit ad deſiderabilia eius & Electos , eoſque nititur ſupplantare, dicente Scriptura , eſcae eius electae “ : quod idem circiter , ſed ſuo modulo dixit YORICK : Rem nullam operoſiorem in hoc mundo eſſe , aſſerens , quam *feminae pulſum tangere* (*a*) . Quare & Divus CAROLUS BOROMAEUS , qui DEO militat , inquit , implicare ſe negotiis ſaecularibus prohibetur . . . . *Clericus* ergo artem medendi non faciat (*b*) !

His vero non obſtantibus , non *diſpenſatione* ſola , ſed & *Privilegio* , Clericis quandoque huius artis exercendae facultas fuit conceſſa : quin tamen *inciſione* & *aduſtione* uti liceret ; quod iam ab INNOCENTIO III. Subdiaconis , Diaconis & Sacerdotibus fuerat prohibitum (*c*) . Sic a GREGORIO XIII. , *Societati Ieſu* ſub eadem limitatione , privilegium conceſſum eſt ,

(*a*) There are worſe occupations in this World than feeling a womans pulſe ! . . .

(*b*) In Actis primi Concilii *Mediolanenſis* .

(*c*) C. 9. X. „ ne Cler. vel Monach. “ .

ut Religioſi ex illa periti Medicinae, ex conſenſu & ſuperiorum auctoritate, *deficientibus aliis Medicis*, medendi artem in quoſcumque exercere poſſent (*a*). Neque abſolute *Religioſis*, niſi quoad *periculoſam* medicinam, vel *inciſionem* & *aduſtionem*, arte *Medica* interdictum fuiſſe, teſtatur Franciſcus BELLIZARIUS (*b*),

Quod vero a chirurgicis operationibus magis abhorruerint leges Eccleſiaſticae, variae movere potuerunt cauſſae, & ſunt, qui ex illo Iuris Canonici principio repetant, quod Eccleſia *ſanguinem fundere* non velit: quo vero argumento *Aduſtionis* ille, non tamen univerſas illius ſpecies complectens, horror, necdum ſatis videretur explicatus.

Medicina an ars illiberalis? Medicinam olim inter *illiberales*, ſordidasque artes, quoad illam partem numeratam dicunt, quae circa *ſectiones* & *uſtiones* faciendas, emplaſtra & collyria imponenda, & *caſtrationem Eunuchorum*, occupata fuit (*c*). Interim neque haec ſemper vera, aut *Chirurgiam* a *Servis* ſemper excultam eſſe invenio. ULPIANUS

(*a*) Andr. MENDO, de iure academico; L. II. qu. XXX. N. 367.
(*b*) Mannual. regul. Tr. VII. c. 5. Tr. 4. N. 215.
(*c*) L. 18. §. 10. ff. de inſtr. & inſtr. leg. l. 4. in fine ff. ad L. *Cornel.* de ſicc. PAUL. 5. Sent. Tit. 23. §. 7.

enim (*a*) *Medicum imperite ſecantem* actione ex Lege Aquilia conveniri poſſe affirmat, cuius tamen nulla in *Servos* cadere potuit obligatio (*b*). Apud *Romanos* certe *Medici Chirurgiam* exercebant, ſectiones, uſtiones, & reliqua ad hanc artem ſpectantia, ſuſcipiebant; neque illos omnes in ſervitute vixiſſe, mox demonſtrabo.

At *medio* certe *aevo*, ad *laniones*, qui *carnifices* dicebantur, quod ex ſubſtantia animalis viva, *carnem* facerent, ſpectabat potius *Chirurgia*, ſi rudem omnino atque in ſolis fere emplaſtris imponendis artem tunc verſantem ſic nominare poſſimus. Ii laniones corpora Magnatum, ut ea a morte ſale condirent, cultro anatomico ſubiecerunt. Inter alia patet ex *chronica Montis Sereni*, ubi de WICHMANNO, Archiepiſcopo *Magdeburgenſi*, ſub finem ſaeculi duodecimi (1192.) defuncto refertur: „Mor- „tuo eo, quemdam *hiſtrionem*, *carnificis* officio „functum eſſe, ventremque eius, cultro ape- „ruiſſe, & inteſtina eieciſſe; corpus autem „ſale infuſum, ne aeſtu corrumperetur, *Mag-* „*deburgum* eſſe adductum". Sed & verum eſt, NERONEM, quos mori iuſſit, cunctan-

(*a*) L. 7. §. ff. ad Leg. *Aquil.*
(*b*) L. 22. ff. de R. I.

tes ultra horam, *Medicis* curaviſſe, qui venam mortis gratia inciderent (*a*); & poenae quoque & ignominiae irrogandae cauſſa Medicos, Chirurgiam exercentes militibus venam ſecuiſſe. Aſt neque haec bonis omnibus probata ſunt & a CICERONE Tyrannis obiecta. Iniqua vero de arte generi humano utiliſſima, hinc & nobiliſſima, idea, vel vanis hominum opinionibus nitebatur, vel ob craſſam eorum inſcitiam nata eſt, qui chirurgiam ſeriori tempore exercuerunt. Semper ego hanc, *Medicinae*, tum dignitate & auctoritate aequalem, certitudine vero & neceſſitate multo maiorem habui, longeque arte Medica ſtricte dicta antiquiorem. Quandocunque igitur *Medicinam* inter & *Chirurgiam* facta ſit ſeparatio, quod divortium poſt ANTONINOS demum *Imperatores* factum eſſe, MENAGIUS credidit, (*b*) quamvis ne CONSTANTINI M. quidem temporibus, utrarumque fines ſatis diſtinctos fuiſſe, exiſtimet LAMPIUS (*c*); — certum eſt, illam non ſine magno Reipublicae damno, artiſque detrimento inſigni factam, & *Medicorum* vel *arrogantiae*, vel *negligentiae* adſcribendum eſſe,

---

(*a*) SVETON. in NERON., c. 77.
(*b*) Ex l. 7. §. 8. ff. ad L. *Aquil.* Amoenit. Iur. c. 35. p. 227.
(*c*) L. c. §. VII. p. 16.

ſi hanc eximiam ſcientiae ſalutaris partem, vel alto criſpatoque ſpernere ſupercilio, & dignitate ſua inferiorem, plebi committere potuerint. In huius manibus poſita Chirurgia, ad mechanicas artes deiecta fuit, neque maiores titulos per plura ſaecula recuperavit: donec noſtro tandem aevo ex cineribus ſuis longe nobilior ſurrexit ſcientia, & amiſſum nimis diu, pro humani generis ſalute, ſplendorem revindicavit. Crudelitatem aliquam in Chirurgicis accuſant, & haec forte non minima erat, ob quas *ſecandi* atque *urendi* facultas longe prius, quam illa Medicinam exercendi, Clericis fuerit adempta. Quidquid ſit; certum eſt, in nulla artis functione, a qua Societatis humanae dependet felicitas, vile quid poſſe inveniri, atque aequale omnino eſſe, num *Scalpello*, num vero pretioſiſſimorum medicaminum virtute, deperditam aegrotantibus ſalutem reſtituamus. Quare & *Proteſtantium* Sacerdotes, per leges quidam *provinciales*, non tamen nimis ſeveras, ab arte medendi arcentur (*a*). Quidquod noviſſimis temporibus, iuſſu Principis *Haſſo-Dermſtadienſis*, omnes Theologiae ſtu-

(*a*) Iuſt. henningii BOEHMERI Diſſert. de Medicorum animae & corporis in ſanandis aegris coniunctione, Halae Machdeb. 1736.

dioſi, praelectionibus in TISSOTI de morbis popularibus (Avis au peuple ſur ſa Santé) librum egregium, per annum intereſſe tenentur (*a*).

SERVI MEDICI.

Aſt ad *Servos* quoque deſcendiſſe Medicae artis exercitium, & ad *Vetulas*, non diffitebor. *Chirurgorum Caſtrenſium* vices olim *Germanas* mulieres in praeliis ſuſtinuiſſe, TACITUS docuit: „ Ad matres, inquit, ad coniuges vulnera ferunt, nec illae numerare aut exſugere plagas pavent, ciboſque & hortamina pugnantibus geſtant (*b*). *Aſtrologiae* etiam ſtudium, a vetuſtiſſimis temporibus cum arte medica iniquo coiverat matrimonio, atque per longum tempus apud omnes populos coniuncta incedebat (*c*). Cumque, teſte IULIO CAESARE, apud Germanos conſuetudo eſſet, ut matres familiae ſortibus & vaticinationibus declararent, utrum praelium committi ex uſu eſſet, nec ne (*d*)? atque *Scytharum* quoque mulieres *Medicinae* operam dederint (*e*); certe dubium eſſe nequit, quin *mulieres* quondam ad *ordinem me*

(*a*) Gazzette ſalutaire 1779. N. 9.
(*b*) De moribus German. c. 7.
(*c*) DIODOR. SICUL. L. V. p. 235.
(*d*) De bello Gallico lib. 7.
(*e*) PLUTARCHUS, Conviv. Sept. Sapient. var. Opp. T. I. p. 257.

dicum pertinuerint ; neque certe earundem in morbis conſilia fuerunt neglecta (*a*) . Videtur certe femineus ſexus hanc ſibi artem a primis mundi principiis arripuiſſe , primique vix non umbilici humani deligatione, ut indelebili ſigillo , confirmaviſſe .

Pleroſque Medicos , IULII ÇAESARIS ante tempora , *ſervilis* conditionis fuiſſe , ex legibus , huic ſaltem non contradicentibus , obiecerunt (*b*) . Atque nequid celare videamur , IUSTINIANUS , aeſtimato per legem *Servorum* pretio, ſanxit, ſervos & ancillas artium expertos , XX., cum arte aliqua , XXX. ; Notarios L. , *Medicos utriuſque ſexus* , i. e. Obſtetrices etiam , LX. ſolidis eſſe aeſtimandos (*c*) : Quo argumento DRELINCURTIUM quondam vexare conatus eſt BOEKELMANNUS (*d*) atque MEADIUM ; MIDDLETONUS (*e*) .

(*a*) NOLTENIUS , de iuribus Medicorum in Ducatu *Brunſvicenſi* ; p. VI.
(*b*) L. 1. §. 5. C. Comm. Serv. manumiſſ. l. 3. pr. C. Comm. de legat. l. 26. ff. de oper. libert. L. 41. §. 6. ff. de fideic. l. 9. ff. ad L. *Aquil.* VARRO 1. de benefic. c. 24. QUINTIL. lib. 7. cap. 2. ad tr. diſp. 6. th. 7. tit. C. Vol. I.
(*c*) L. III. Cod. Comm. de Legat.
(*d*) Medicus Romanus Servus ſexaginta ſolidis aeſtimatus . Leid. 1671.
(*e*) De Medicorum apud Romanos degentium con-

Haec non ſine magnis exceptionibus veritati conſentire iam demonſtravit LAMPIUS (*a*). Sed ſi omnino vera eſſent, artem certe non poſſent tangere: quae, ſi *vincula* aliquamdiu portaverit; *coronas* quoque & diademata geſtavit, quin ad *Regium* inde Medici ordinis *characterem* concludendo, riſui ſe quiſquam voluerit exponere. TERENTIUM quoque, & EPICTETUM quis *ſervos* cognominet, aut quis herum, cui quiſque a ſorte erat traditus, *Dominum*?... *Nobilitas virtus* eſt, aut nihil eſt; neque fortunae, ſi ſapientem virum conculcat, in Scientias iuris aliquid accedere poteſt. Aſt rem totam PLATONIS locus explicat, quo teſtatur: „ Medicinam vix, praeterquam a viris Principibus pridem fuiſſe exercitam, *Servis*, *illiberalem* tantum tractantibus. *Servos* tamen *Medicos* dominos ſuos conſectantes, opera eorum adiuvando, aliqualem medendi rationis ſibi comparaſſe notitiam (*b*).

MEDICI Nomen late patens. Sed latiſſime etiam patuit uſu Vulgari, nomen medicum. *Obſtetrices Medicae*, ex lege

ditione. Cantab. 1726. SCHULZII Diſſert. de Servo Medico.

(*a*) L. c. §. XXIII.

(*b*) De Legib. L. I. & IX. Vid. NEAND. de Medic. Natal. p. 13.

iubentur *ventrem inſpicere* (*a*). Ex *Medicorum* gente erant, qui ſervos *virilibus* privabant, atque HADRIANUS Imp. hoc iis capitale eſſe iuſſit (*b*). *Medici* nomine veniebant omnes, qui in univerſum ſalutis humanae curae gerunt (*c*); primoque *Medici Clinici* dicebantur, qui ad lectum (κλίνη) aegrotorum *morbo* cubantium aſſidebant; *Medici* vero *Chirurgi* quin & ſimpliciter *Medici* vocati ſunt, qui *vulneribus* medebantur, & in univerſum *exteriorum* corporis humani partium curam, artis ſuae ambitu complectebantur (*d*). Aſt & qui partis tantum alicuius vel certi doloris, ſanationem pollicebantur, ut puta, *Auricularii*, *Dentarii*, Medico nomine gaudebant (*e*). Ultimo tandem & *ſervus*, quicumque dominum ſuum in balneo fricaret, lavaret, ungeret, aut tonderet, raderet, aut articulos eiuſdem motitaret, Medico ſuperbiebat nomine (*f*).

(*a*) ANIANUS in Interpr. IULII PAULI recept. Sentent. L. II. T. 24. §. 8.

(*b*) L. 4. §. ult. ff. ad L. *Cornel.* de Sicc.

(*c*) L. 1. §. 1. ff. de extraord. cognit.

(*d*) L. 1. §. 3. ff. de extraord. cognit.

(*e*) ULPIANUS L. 1. §. 3. ff. de extraord. cognit. & SERIBONIUS LARGUS Epiſt. ad C. Iul. CALLISTUM.

(*f*) Ge. Gottl. RICHTER de priſca Roma in Medicos ſuos haud iniqua, Goetting. 1764.

Non Servi Medici. In his vero, quis docti, verique *Medici* faciem & officia agnoſceret? . . . Huc ergo leges referamus, in quibus de *Medicis* tanquam de *ſervis* agitur (*a*)! *Servus* certe neque *Archiater*, neque *Medicus numerarius* eſſe potuit: quia civis Romanus non exiſtebat, nec perſonam habebat, adeoque, quoad *privilegia civilia*, pro mortuo erat habendus (*b*). Neque *Athenis* certe leges conceſſerunt, *ſervum* aut feminam arti *Medicae* dare operam; donec his tandem, ſi *ingenuae* eſſent: *matronis Atticis* id *Legislatoribus maritis* ſic *imperantibus*: a legibus datum eſſet (*c*).

Mirum quoque videri non poſſet, ſi *Roma* in *Medicos* per tempus aliquod fuiſſet iniuſta: formae enim id *bellicae Urbis* attribuamus, ubi & aliae artes liberales, tanquam pacis comites, ultra quadringentos ab Urbe condita annos iacebant. Neque ſub tali conſtitutione difficile eſſe debuit *ſervos* habere, qui *Medicinam* ex profeſſo ſtuduiſſent: tot enim populis in ſervitutem redactis & *Medicos* bellorum iniuria comparatos füiſſe, dubium eſſe nequit. Neque impoſſibile eſſe *proceribus* potuit, *ſervos* ſuos aliis tradere

---

(*a*) HALLER, l. c. p. 189.
(*b*) L. 3. „ne quis eum, qui ius". L. 32. ff. de Reg. Iur.
(*c*) Apud HYGINIUM fab. CCLXXIV.

in arte *Medica* erudiendos: quemadmodum & noſtris temporibus, *Principes*, ſuos inter domeſticos, perſonas alere ſolent, quibus ſaltem aliqua chirurgiae notitia eſt.

An Roma exulaverint Medici.

Neque etiam *ſexcentis* omnino annis *Româ* exulaſſe *Medicos*, credamus (*a*); aut ſi Medici exulaverint: neque tamen ipſa exulavit Medicina. Certe ſaeculo, ab U. C., ineunte *quarto*, *Medicorum*, Romae, Peſtis tempore, degentium, qui in tanta aegrotantium multitudine non ſuffecerint, fit mentio; & antiquam illam in Medicos calumniam depulit DRELINCURTIUS.

Sed Romam quoque venit A. U. C. DXXXV. ARCHAGATUS, graecus Medicus: ius illi dabatur Quiritium, & taberna ſumptu publico in compito *Acilio* empta eſt. Gratiſſimus ab initio Romanis erat; at ſenſim, ait PLINIUS, a ſaevitia ſecandi urendique, tranſiit nomen in *carnificem*, taediumque in artem, omneſque Medicos (*b*). Quae certe, ab *uno* homine deſumpta ratio, tam vilis momenti eſt, utſi maculam inurere poſſit, non arti, ſed populo

---

(*a*) Contrarium demonſtravit LAMPE, l. c. §. XXII. DRELINCURTIUS, Apolog. Medic. SPONIUS, récherches curieuſes d' Antiquité; Diſſ. 27. p. 442.

(*b*) Hiſt. nat. Lib. XXIX. c. I.

potius inurat, qui artificis vitia in ipſam tranſtulit artem, & crudelia mala perferre maluit, quam heroico remedio, auctiſque pro momento doloribus, liberari. Pietatem admiremini populi Romani, qui *Medicum*, ut Reipublicae cives conſervaret, aegrota corruptaque membra ſecantem, urentem, ferre non potuit: *Gladiatores* vero, iam ab anno U. C. CCCCLXXXVII., in ſummis deliciis habuit, ſanguinemque civium ſpumantem adhuc & fumantia hominum dilaceratorum cadavera; hilari oculo & abſque vel minima mentis commotione, conſpexit! . . . Accedit vero & ridicula huius populi, ab ipſo etiam CATONE nutrita opinio, quaſi commune eſſet Medicorum, qui fere omnes graecae originis erant, cui populo omnes alii *barbarorum* nomine veniebant, *iuſiurandum*, ut nunquam *barbaris*, ſui facultatem facere vellent (*a*); „ Iurarunt, dicebat PLINIUS, inter ſe, *barbaros* necare omnes Medicina: ſed hoc ipſum mercede faciunt, ut fides iis ſit, & facile diſperdant (*b*)". *Barbaris* quidem HIPPOCRATES quondam Medicinam facere recuſavit, quamvis ab ARTAXERCE Rege, argenti & auri,

---

(*a*) PLUTARCHUS in CATON.
(*b*) Hiſt. nat. L. XXI. c. I.

quantum vellet, oblatum, & inter Optimates locus conceſſus fuiſſet; aſt faſſus eſt, voluntatem ſibi deeſſe; non fecit, ut interimeret: Quam nobilior mihi hic ALEXANDER eſt, cuius tanta in PHILIPPUM Medicum fuit fiducia; ut intrepide potionem, quam illum, a DARIO corruptum, OLYMPIAS & PARMENIO, in eius necem paraſſe ſcripſerant, & accepit, & hauſit (*a*)!

Ad ea ergo tempora properemus Auditores illuſtriſſimi, quibus aliorum exemplo populorum, dignitatem *Artis*, & poſſibilia ſaltem in Rempublicam merita, ſi cultivarent Scientiam, *Imperatores* agnoſcerent. ARS HONORATA.

Ac primo quidem, *Romanorum* iam ante tempora, *Aegyptus* Medicos, qui gratuitam, ſaltem in expeditionibus bellicis, artem exercerent, annonâ publica ſuſtentaverat (*b*): neque parvum hoc diſpendium eſſe potuit: cum ſingulis olim morbis apud *Aegyptios* ſui erant Medici conſtituti, neque alium hi, quam *ſuum* morbum curandum ſuſcipiebant (*c*). *Tertiam*

(*a*) CURTIUS, L. III. c. V.
(*b*) DIODOR. SICUL. Lib. I.
(*c*) HERODOT. L. II. qui mos & nunc quoque ſupereſſe dicitur. MAILLET, deſcription de l' Egypte, p. 264. Etiam Coromandeli Medici,

vero redituum Regni partem *Sacerdotio* Medicinam facienti & abſque ſoſtro morbos curanti, aſſignatam fuiſſe, atque in filios, qui patriam ſemper artem excolebant, tranſiiſſe, teſtatur DIODORUS SICULUS (*a*). Neque minor apud *Iudaeos* fuit *Medici* honor: „ Diſciplina Medici, ait ECCLESIASTES, exaltabit caput illius, & in conſpectu Magnorum collaudabitur (*b*). Quibus vero non *Graecia* AESCULAPIUM, quibus HIPPOCRATEM ſuum cumulavit honoribus! iubens " ut hic, in magnis *Myſteriis*, non ſecus ac HERCULES, IOVIS filius publice initiaretur, & *corona aurea* mille aureorum coronaretur, coronam ipſam Quinquatribus magnis in Gymnaeo certamine, Praecone praeclamante, & omnibus eorum Liberis liceat, non ſecus ac *Athenienſium*, Athenis pubertatem agere, quod eorum patria eiuſmodi virum procreavit; HIPPOCRATES vero, ut civitatis iure & victu in Prytaneo toto vitae tempore donetur (*c*) " .

Mox vero IULIUS CAESAR, pro ſuo in artes liberales amore, omnes *Romae* profeſſos

---

ſatis eruditi, ſinguli ſingulos morbos curant. TUNDLER, Med. Malab.

(*a*) L. I. c. 73.

(*b*) Cap. 38. v. 3.

(*c*) Athen. Senat. Conſult.

Medicos *Athenis* venientes, quo lubentius & ipſi Urbem incolerent, civitate donavit (*a*). Deinde ab AUGUSTO IMP., quod a liberto ſuo, *Muſa* ex periculoſo morbo, potu balneiſque frigidis eſſet reſtitutus, non ſolum huic *annulum aureum*, nobilitatis, ordinis ſcilicet Equeſtris, Senatorii & Praetorii inſigne, portare permiſit; ſed &, ad AESCULAPII fanum, ſtatua eidem ex aere collatitio fuit erecta (*b*). Quae ſingula a D. VESPASIANO, HADRIANO, & ANTONINO *Impp.* fuerunt confirmata (*c*); praeterquod & GALENO, viro certe magno, ſub COMMODO IMP., ſtatua quoque poſita fuit, & a quibuſdam, teſte EUSEBIO, Deorum cultus praeſtabatur (*d*). SEVERUS IMP. Annonas Medicis ex publico addidit (*e*), DIOCLETIANUS & MAXIMINIANUS vero, pluribus adhuc ordinem Medicum immunitatibus ornaverunt. Dein CONSTANTINUS, & poſt hunc, THEODOSIUS & HONORIUS, haec ſingula privilegia confirmarunt, atque IULIANUS, litteratorum Protector, ipſeque litteratus, non ſolum amiſſas hinc inde im-

(*a*) SVETON. in vit. CAES. c. 42.
(*b*) DION. Hiſt. Lib. 53.
(*c*) L. 18. §. ult. ff. de mun. & honor.
(*d*) Hiſt. Eccleſ. L. V. c. ult.
(*e*) IULIANI Ep. XLV. Opp. p. 426.

munitates reſtituit ; verum & ZENONEM CYPRIUM, ab inimicis potentibus urbe eiectum, datis ad ipſum litteris propriis, *Alexandriam* ita revocavit, ut honorificum eſſet, eiectum fuiſſe ; atque diſcipulum huius Viri ORIBASIUM, ſimili Epiſtola, ſed plane amiciſſima, inſigniter illuſtravit, &, referente SUIDA, Conſtantinopolitanum conſtituit Quaeſtorem (*a*). Propulſus & hic, poſt mortem IULIANI, in exilium, & ad barbaros homines tranſmiſſus ; ſed ab his pene pro Deo habitus artique honor ſuus tributus fuit.

Privilegia arti Medicae conceſſa.

Inter privilegia vero *ordini Medicorum* ſucceſſive ab *Imperatoribus* ſic tradita, ſequentia eminent. Inviti in iudicium trahi non potuerunt, ſed licitum ipſis fuit, quoties rem cum alio haberent, per procuratorem comparere, quia lecturae intendere deberent (*b*), ſalutique hominum ſtudere (*c*): hinc Medicos domi quoque iurare & teſtimonium dicere concedebatur (*d*). Dein ius extra ordinem accipiunt (*e*);

(*a*) IULIANI Ep. XVII. Opp. p. 384. SUIDAS, T. II. p. 711.
(*b*) Arg. l. 17. cap. de Epiſc. & Cler.
(*c*) L. 1. §. 1. ff. de extraord. cognit.
(*d*) Arg. l. 11. ff. de iuriſ. Vid. BRUN. ad l. 7. cap. de Prob.
(*e*) L. 1. §. 1. & ſeq. de extraord. cognit.

& ab omni carceris periculo vacant, etiamſi aes alienum ſolvere non poſſint. De crimine quoque capitali ſuſpecti, a cuſtodia carceris, ſideiuſſoribus datis, liberantur (*a*); nec torturae ſubiiciuntur (*b*). Quicunque vero eoſdem vexat, iudicis arbitrio plectitur (*c*); qui eos vulnerat, vel iniuria afficit, ex *Lege Iulia* tenetur (*d*). „ ut, ſi quis eos vexaverit, centum millia „ nummorum aerario inferat, a Magiſtratibus, „ vel Quinquennalibus exactus, ne ipſi hanc „ poenam ſuſtineant. Servus eis ſi iniuriam „ fecerit, flagellis debeat a ſuo domino verbe- „ rari, coram eo, cui fecerit iniuriam: vel „ ſi dominus conſenſit, Viginti millia numo- „ rum fixo inferat: Servo pro pignore, donec ſumma haec exſolvitur, retinendo (*e*).

In executione, libros, lectiſternia, & reliquam ſuppellectilem retinent, quia ſine his commode non vivere, generique humano fructus, quos ſcientia eorum promittit, communicare non poſſunt (*f*). A tutela excuſantur

(*a*) Arg. l. 1. ff. de Cuſtod. reor.
(*b*) Arg. l. 8. cap. de quaeſt. ibique Gloſſ.
(*c*) D. l. Med. E. de Prof.
(*d*) L. 7. ad L. *Iul.* de Vi publ. ibique Gloſſ.
(*e*) L. 1. Cod. *Theod.* de Med. & Prof.
(*f*) SPECKHAN Cent. I. qu. 22.

(*a*), & eadem aequitatis ratio, eos ab hoſpitiis militum, excubiis, armis & loricis, quae civibus imponuntur, eximit (*b*). Qua in parte, cum a neceſſitate Hoſpitis recipiendi, ne *immunes* quidem olim excuſabantur (*c*), feliciores certe fuerunt *Medici*, VESPASIANI & HADRIANI IMPP. reſcriptis immunes pronunciati (*d*). Immunes quippe ſunt ab omnibus muneribus perſonalibus, iiſque, quae *capitis* dicuntur (*e*). Praeterea immunes ſunt a patrimonialibus: in quo tamen differentia inter bona conſtituitur, quae intra & quae in ſuſpenſo ſunt tempore, quo *Ipſe Imperator* in expeditione eſt (*f*), aut quo bellum imminet; aut ſi caſus inſolitus accidit: ex ratione, quod immunitas ad tempus neceſſitatis non extenditur (*g*). Impenſum in curationem infirmorum pro *Medicis* & *Pharmacopolis* in concurſu creditorum obaerati infirmi defuncti, in claſſe illorum *prima*, ſcilicet ſimpliciter ac ſingulariter privi-

(*a*) L. 6. §. 2. ff. de excuſ.
(*b*) L. 6. cap. de advoc. div. iud.
(*c*) L. ult. §. pen. ff. de muner.
(*d*) L. ult. §. ult. ff. de muner.
(*e*) L. 6. l. II. cap. de Prof. & Med. arg. l. II. cap. de aff.
(*f*) L. 2. L. 3. de quibus mun. & praeſt.
(*g*) Conſulatur de his SACHS Diff. cit. §. XVI.

legiatorum, collocandum venit. Quamvis enim de hoc dubitat BODINUS (*a*); in pleriſque tamen foris invaluit ſententia: ſoſtra, praecipue extremi morbi, iiſdem, quibus impenſae in funus, privilegiis frui, & reliqua debita antecedere (*b*).

Reſtrictiones Immunitatum

Atque haec ſunt praecipua, quibus placuit quondam *Imperatoribus*, ordinem medicum exornare, privilegia. Neque haec ſatis eſſe, prudentiores credebant: „ Quaedam pluris ſunt, inquit SENECA, quam emuntur. Emis a Medico rem inaeſtimabilem, vitam ac valetudinem bonam. Quare *Medico* & *Praeceptori* plus quiddam debeo, nec verſus illos mercede defungor, quia ex Medico & Praeceptore, in amicitiam tranſeunt, & non arte quam vendunt, ſed benigna & familiari voluntate (*c*). Arridebant vero & aliis civibus eiuſmodi immunitates, & hinc factum eſt, ut illorum, qui *Medicorum* nomen profiterentur, in dies augeretur numerus, & ut, pluribus ſic in Republica civium

C 2

(*a*) Diſſert. iurid. de Iuribus aegrotorum ſingularibus. Th. XIX. p. 26. Item STRUV in Synt. Iuriſpr. Exercit. XLIV. Th. 56.

(*b*) LAMPE, l. c. §. XLIII. CARPZOV. Part. I. Conſtit. 28. Def. LAUTERBACH.

(*c*) De Benef. L. VI. c. 16.

liberatis officio, caeterorum onera multum nimis aggravarentur. His ergo malis mederi placuit, certuſque Medicorum *numerus*, a *Decurionibus* in quacunque civitate definiendus, eſt tandem conſtitutus (*a*). Hi proprie *Medicorum* nomine veniebant & abſolute *numerarii*, ad aliorum differentiam, qui *ſupernumerarii* audiebant (*b*), & ad quos *privilegia* pertinebant (*c*). Sed & poſtea, Conſtitutione DIOCLETIANI & MAXIMINIANI IMPP. effectum eſt, ut ne quidem *numerarii Medici*, immunitatibus gauderent, niſi ſpeciali *Decurionum* decreto ipſis fuiſſent tributae (*d*). Ex hoc ipſo *Medici numerarii* in duas claſſes abierunt: *primi* ſcilicet *ordinis*, in quo *ſeptem* fere reperiebantur, quibus ob id *Decurionum* competebant decreta, & penes quos caeterorum Medicorum delectus erat: atque hi *Archiatri*, cumque *Aulae* peculiariter eſſent addicti, & inter penetralia regalis aúlae florebant, (*e*) primum forte ab aevo CONSTANTINIANO,

Medici numerarii & ſupernumerarii.

Archiatri Palatii.

(*a*) L. 6. §. 2. ff. de excuſ. tut. l. 18. C. de Epiſc. & Cler.

(*b*) L. 6. §. 2. ff. de excuſ. tut. cui. par Cod. tit. de advoc. diverſ. iud.

(*c*) L. 1. ff. de decret. in ord. fac. l. 7. ff. de excuſ. tut.

(*d*) Io. Iuſt. MUHLPFORT, Diſſert. iurid. circa morbum & curam aegrotorum. Argentor. 1671. c. VIII. §. III. p. 40. 41.

(*e*) L. 12. Cod. THEOD. de Med. & Prof.

Archiatri Palatii adpellabantur; dein *ſecundi ordinis numerarii* erant illi, qui ab *Archiatris*, inſtituto examine, idonei eſſent iudicati, atque hinc *probati* Medici, & *intra numerum* quoque dicebantur (*a*), quin tamen *Archiatrorum* privilegiis ex nova Conſtitutione gauderent. Qui ergo primi ordinis *Archiatri* erant, eos, ſi cum noſtris temporibus comparandi veniant, cum *Aulae Medicis*, *Protomedicis* & *Phyſicis provincialibus*, aut *Urbium* maiorum *primariis*, conferrem: Atque hi praecipue annona publica ſuſtentabantur ac ſuis immunitatibus, magnis omnino, gaudebant. *Medici probati.*

Maior vero ante haec tempora *Archiatri* erat ſignificatio: *Medicorum* enim *Principem*, non ſolummodo *Principis Medicum*, haec tunc exprimebat. Primus autem ANDROMACHUS hoc titulo *Archiatri* venit apud EROTIANUM; & quae illis functio fuerit, patet ex Inſcriptionibus GRUTERI: in quibus *ſuperpoſiti Medicorum* & ſupra Medicos, & *Domini Medicorum* vocantur *Archiatri*. Primus vero VESPASIANUS *Imp.* Medicis familiaribus aliquem praefeciſſe videtur, & extat ſub titulo *ſuperpoſiti* *Archiatrorum Comes.*

(*a*) L. 10, C. de Prof. & Med. Lib. X.

Medicorum, *T. ſl.* *Paederates* ALCIMIANUS (*a*). *Archiatrorum* ergo *Comitem*, ſeu *Dominum* illum *Medicorum*, magni ſequebantur honores: ita ut *Ducibus* & *Vicariis* aequaretur (*b*). VINDICIANUS certe, tempore VALENTINIANI *Imp.*, *Archiatrorum Comes*, vel dioeceſeos alicuius, vel per *praefecturam Galliae* Vicarius fuit (*c*); atque Divus TRAIANUS *Imp.*, Medicum ſuum, C. CALPURNIUM *Aſclepiadem Pruſam*, quem ſeptem civitatibus donaverat, *Magiſtratibus* Pop. Rom. adſedere & Provinciis *Aſiae*, atque aliis, *Cuſtodem* praeeſſe voluit (*d*). Ex formula quoque praeſtandae, apud *Oſtrogothos*, ab *Archiatrorum Comite*, fidei, quam CASSIODORUS conſervavit, ſimilia docemur: „ Habeto, inquit *Im-* „ *perator*, fiduciam ingrediendi, quae magnis „ ſolent pretiis comparari“. Hoc autem *Ius ingrediendi* apud *Imperatores*, nonniſi *Primatibus* erat conceſſum. „ Alii, ſubiungit *Imp.*, „ ſubmiſſionis nobis inſerviunt, tu ſuperioritatis „ titulo: fas eſt tibi, nos fatigare ieiuniis,

---

(*a*) GRUTERI Inſcript. T. I. p. DXXXI. Inſcr. 7.
(*b*) HALLER, l. c. p. 180.
(*c*) LAMPIUS, l. c. §. XXXIII. ex l. 9. Cod. *Theod.* de Metell.
(*d*) REINES, Epiſt. ad HOFFM. & RUPERT. Epiſt. XLIV. p. 394. & ſeq.

„ contra naturam ſentire deſiderium, & in lo-
„ cum beneficii dictare quod nos ad gaudia
„ ſalutis excitet; talem tibi denique licentiam
„ noſtri eſſe cognoſcis, qualem nos habemus
„ in caeteros. Quapropter a praeſenti tempore
„ *comitivae Archiatrorum* honore decorare: Ut
„ *inter ſalutis magiſtros ſolus* habearis eximius:
„ & omnes iudicio tuo cedant, qui ſe ambitu
„ mutuae contentionis excruciant. Eſto *Arbiter*
„ *artis egregiae*, eorumque diſcinge conflictus,
„ quos iudicare ſolus ſolebat affectus (*a*)". In-
terim licet magnis muneribus praefuerint ſaepe
Archiatri, ad nulla tamen cogebantur. „ *Ar-*
„ *chiatri*, lex dicebat, omnes, & ex Archiatris,
„ ab univerſis *Curialium*, *Senatorum*, & *Co-*
„ *mitum*, Perfectiſſimorumque muneribus, &
„ obſequiis, quae adminiſtratione perfunctis ſae-
„ pe mandantur: a praeſtationibus quoque pu-
„ blicis liberi immuneſque permaneant: nec ad
„ ullam auri & argenti, & equorum praeſtatio-
„ nem vocentur, quae forte praedictis Ordini-
„ bus, aut Dignitatibus adſcribuntur. Huius
„ autem indulgentiam Sanctionis, ad filios quo-
„ que eorum ſtatuimus pervenire (*b*)".

(*a*) Variar. L. VI. form. 19. p. 207.
(*b*) L. 2. Cod. *Theod.* de Med. & Prof. LAMPE, loc. cit.

Miror, ab HALLERO dictum eſſe, *Medicos Caeſarum*, hoc ipſo titulo veniſſe, non *Archiatri* (*a*); cum tamen ANDROMACHUS, eo ipſo monente, NERONIS dicatur *Archiater*. Contrarium certe probat & a MARCELLO conſervata *Vindiciani* ad VALENTINIANUM littera, in qua ille & ipſum *Archiatrorum Comitis* titulum aſſumit (*b*). Noviſſimis quoque temporibus eodem ſemper gaviſi ſunt titulo *Imperatorum* noſtrorum Medici primarii: ita ut male ab ill. CHOMELIO dici videam, ſolum Regis *Franciae* primarium Medicum, in *Europa*, hoc titulo ornatum incedere, cum & in *Hiſpania* & in *Italia*, ſimplici *Protomedici* titulo gaudeant (*c*). Interim ab antiquiſſimis *Monarchiae* temporibus, primi *Regum Franciae* Medici, *Conſiliariorum Status* (Conſeillers d' Etat) titulo fuerunt condecorati, & in quamplurimis *Germaniae*, in ipſis *Regis Borruſſiae* & Electorum aulis, *Conſiliariorum intimorum*, vel *aulicorum* nomine inſigniuntur.

Inſanum eſſe viro Medico, eiuſmodi titulis multum tribuere, & non in artis ſuae perfe-

---

(*a*) L. c. p. 179. ex MEIBOMIO & VINKIO.
(*b*) Vid. Eſſai hiſtorique ſur la Médecine en France; p. 43.
(*c*) Ibid. p. 39. 40.

ctione, Nobilitatem officii quaerere, ipſemet bene ſentio Auditores, ut qui & *Medici aulici*, apud Sereniſſimum Principem Marchionem *Bado-Badenſem*, dein, apud Celſiſſimum Principem & Epiſcopum *Spirenſem*, *Archiatri* & *Conſiliarii Intimi*, poſtea vero & potentiſſimi *Regis Magnae Britanniae*, Clementiſſime mihi collato *Conſiliarii aulici* honorifico titulo, grato animo ſed abſque haeſitatione renunciavi, ut in celeberrima hac Academia, quod nunc facio, *Profeſſorium* munus, aliis titulis certe non indigens, in me ſuſciperem. Interim haec ſaltem demonſtrant, non ingratam hucuſque in Medicos Rempublicam, & nihil non ab ea tentatum fuiſſe, ut Medicorum in ſe merita nobiliter remuneraret (*a*).

Sub finem *undecimi*, atque *duodecimo* etiam ſaeculo, Medicina, ſeu Clinices illa, ad Philoſophiam & praeprimis ad *Phyſicam* relata eſt, atque Medici, illam profitentes, *Phyſicorum* nomine cenſeri coeperunt (*b*). Cum primum erigeretur Univerſitas *Pariſienſis*, illi, ex ea, qui Medicinam vel docebant, vel exercebant, PHYSICI.

(*a*) Vid. quoque MEAD de Medicis Equeſtri dignitate donatis.

(*b*) De LUDEWIG, praefat. ad Conſil. Halenſ. T. II. p. 25. N. 124.

Phyſici , & *Magiſtri* in *Phyſica* , vocati ſunt (*a*) . Sic primus quoque Regis Medicus , *Phyſicus Domini Regis* adpellatus eſt . Nec ſaeculo XV. prorſus exoleviſſe hunc titulum , ex SIGISMUNDI *Imp.* ordinationibus ſatis eſt conſpicuum (*b*) : cum *Imperator* eoſdem , quos paulo ante *Magiſtros Medicos* (Meiſteraerzte) vocaverat , poſtea magiſtros *altioris Phyſicae* (die

---

(*a*) Conſtitut. Sicul. L. III. tit. 34.

(*b*) „ Es ſoll auch gewoehnlichen in jeder Reichſ-„ ſtadt ein *Meiſterarzt* ſein : der ſoll haben *Hun-„ dert Gulden* Gelds . Die mag er nieſſen von „ einer *Kirchen* , das ward geordnet in Concilio „ Lugdunenſi : alſo daſs demnach die *Kirch* Kei-„ nen gepreſten hab und beſſer in der Ordnung „ ſtehe . Und ſol menniglich arztneyen umbſonſt : „ und ſoll ſein Pfründ verdienen ernſtlich und „ getrewlich . Wol was man Koeſtlich Ding aus „ der Appenteck haben muſs , ſoll man bezah-„ len ; Aber von den Armen ſol man nichts „ nehmen , darumb daſs er ſein Pfründ neuſſet . „ Wann Goettlich iſts , Gotzgaben mit den Ar-„ men theilen . Aber die *hohen Meiſter* in *Phy-„ ſica* , die ſchlahen nun den Geitz Hoechſtlich „ betrogenlich . Sie dienen niemand umbſonſt . „ Darumb fahren ſie in die helle . Etlich Wer-„ ben nit deſtermynder umb Pfründen , und nieſ-„ ſen die unverdient . Beſehe man , daſs man „ Keinen *Arzt* mehr Pfründen laſs nieſſen , ſie „ ſchweren denn lauter die Ordnung zu hal-„ ten , die vormals in den Concilien geordnet „ ſeyndt “ . Reformat. Baſil. Part. II. T. XI. *Goldaſt.* in paradox. de honor. Med. §. 35.

hohen meiſter in Phyſica) adpellitet . Atque cum SIGISMUNDUS in quavis civitate Imperii unum huius generis *Phyſicum* eſſe voluerit : dubium eſſe nequit , quominus *Phyſicis* , quos vocamus , *Urbicis* & *Provinciarum* , quos & *Medicos numerarios* pridem nominatos fuiſſe , ſupra dictum fuit , nomen inde manſerit .

Antiquitas huius Ordinis.

Antiquiſſima ſcilicet eſt conſuetudo , Medicos ſumptu publico alendi illoſque ad curandos gratis pauperes adſtringere . *Aegyptii* ſic *Sacerdotes* , neque a diſcipulis , neque ab aegrotis quidquam aut capere , aut exigere potuerunt . *Indi* quoque publicos alebant Medicos , quibus peregrinorum , pauperumque cura erat demandata (*a*) . *Urbes* iam vetuſtiſſimis temporibus Medicos aliquos aluiſſe , & Duces ſecum in exercitu habuiſſe , ex CYRI apud XENOPHONTEM ſermone colligi poteſt (*b*) . DEMOCEDES Medicus , cum CROTONEM , patriam , cum AEGINA permutaſſet ; mox ab hac Urbe , *talento* ductus eſt : poſt tres annos ab ATHENA , *centum minis* , dein a SAMO , talentis duobus , ſecundum HERODOTUM . Iam PLA-

(*a*) DIOD. SICUL. L. 1. 2. Franc. SACHS Diſſert. iurid. de officio & iure Medicorum ; §. IV.
(*b*) Cyropaed. Lib. I.

TO, „ bonos Medicos, ait, habere oportet „ in civitate, qui ab ineunte aetate ultra di-„ ſcendae artis ſtudium inter plurimos corpore „ male adfectos fuerint verſati (*a*) ". De *Maſſilienſibus* id iam STRABO teſtatur, & tum privatim, quam publice, a civitatibus Medicos fuiſſe conductos monet (*b*). Apud *Romanos* ſingulorum municipiorum Magiſtratibus erat iniunctum: „ ut certi, de probitate morum & „ peritia artis eligerent ipſi, quibus ſe liberoſ-„ que ſuos in aegritudine committerent (*c*) ". Sed & cuivis *Legioni* tandem & ſuus, teſte VEGETIO, fuit Medicus, atque AURELIANUS, iubens, ut *Milites* a Medicis gratis curarentur, ſtipendia dedit. A SIGISMUNDO ergo Imperatore haec utiliſſima exempla in *Romano-Germanico* quoque Imperio imitata, *Medicique publici*, ſub nomine *Phyſicorum* inſtituti, atque tam *aere publico*, quam *beneficiis Eccleſiaſticis*, ſunt conducti. Cum vero eiuſmodi *Phyſici* ab Eccleſiis ſic dependerent: Vetitum erat vel minimum ab aegrotantibus aut exigere

---

(*a*) Lib. III.
(*b*) Vid. CONRINGIUS, antiq. Academ. Supplem. VIII. p. 223.
(*c*) L. I. D. in Decret. ab ord. faciend.

aut capere ; atque contrafacientes ; criminis *Simoniae* reos fieri, Patres contendebant (*a*).

Hi denique *Phyſici* praecipua in foro gaudent auctoritate & ſuper laeſionum diverſarum natura, aliiſque obiectis permultis coram Iudice deponunt: quae certe pars ſcientiae, quam *Medicinam forenſem*, ſeu *legalem*, aut & *Iuriſprudentiam Medicam* adpellant, ſummam ſibi rerum, tum naturalium, tum medicarum, expoſcit cognitionem. *Chirurgiâ* quidem a Medicis clinicis ſucceſſive neglectâ ſoliſque demum *Chirurgis* relictâ: inſpectio vulnerum his tantum a Legislatore eſt commiſſa; quare & in Ordinatione CAROLI V. diſſertis verbis, tantum *Chirurgi*, nulla *Medici* facta commemoratione, fit mentio (*b*). Unde etiam CARPZOVIUS ſolis barbitonſoribus, modo ſint periti, & rationem iudicii ſui dare poſſint, fidem habendam, eorumque arbitrio de vulnerum lethalitate ſtandum eſſe putavit (*c*). Aſt vero, ſi temporis ratio AUCTORITAS.

(*a*) V. HOSTIENS. & PANORMIT. ad c. 4. X. de Magiſtr.

(*b*) Art. 147. & 149. Item in Proceſſ. Saxo. Goth. P. 3. c. 2. §. 1. „ quod peritus barbitonſor aut balneator ".

(*c*) Pr. rer. Crim. P. I. qu. 26. n. 36. 37. GAIL. l. 2. obſ. CXI. n. 12. KRESS. ad ord. Crim. Carol. art. 147. n. 3. p. 321.

habeatur, quo legem illam eſſe latam novimus; mox patebit, *Medicis* hanc provinciam committi tunc quidem non potuiſſe: partim quod maior omnino illorum numerus ad *Clerum* pertinuerit, quibus & *ſectione*, & *aduſtione* ſevere erat interdictum; partim quod impoſſibile tunc fuiſſet, *Medicis* ad haec uti velle ubique certe rariſſimis. Solo hoc *Ducatus Witenbergici* v. g. coniiciamus exemplo, in qua notabili Imperii Germanici Provincia, tempore Ducis UDALRICI, nonniſi unicus iuratus *Medicus*, & ad finem uſque ſaeculi XV., nonniſi unicum exſtiterat Pharmacopolium (*a*). Sed vereor, ne, cum illis temporibus, *Medici*, quos leges in his reſpicerent, defuerint, maior *Chirurgorum* copia habita ſit, quibus magnum *depoſitionis medicae* opus committi potuiſſet. Certe autem ex *barbitonſorum*, *balneatorumque* numero, ſine iniuria, vix videntur potuiſſe deſumi. Utroſque hinc ad vulnerum inſpectionem plane non eſſe admittendos, recte docuit STRYKIUS (*b*); Atque eidem opinioni accedunt celeberrimi Viri alii (*c*).

(*a*) Nachrichten von den Geſetzen des Herzogthums Wirtenberg.

(*b*) De Iure ſenſuum, diſp. 1. c. 2. n. 19.

(*c*) WELSCH ration. vulner. lethal. iudic. c. 15. p. 136. BOHNIUS, Exam. vulner. lethal. ſect. I. c. I. p. 6.

Hinc pluribus in locis conſtitutionis criminalis ſenſus pauliſper temperatus, & iure, vel ſcripto, vel non ſcripto, introductum eſt, ut tam arduum negotium, quibuſcunque Chirurgis non concedatur; ſed ſimul expertus etiam Medicus, & quidem a Facultate Medica examinatus & promotus adhibeatur (*a*). Non video tamen cur & experto viro *Chirurgo*, circa vulnera externaſque laeſiones corporis, non eadem adhiberi debeat, quam in *Medicum*, circa internas corporis mutationes cauſſaſve eaſdem producentes, fiducia; neque hoc iure *Chirurgos* ſpoliandos eſſe, ubi Medicorum ipſis adiungendorum copia non detur, recte VALENTINUS, atque ALBERTUS, docuerunt (*b*). Cum vero in rebus tam ſeriis cautio de errore nimia adhiberi nequeat: in maioribus hinc *Imperii* Urbibus, *Francofurti ad Moenum*, *Auguſtae Noricorum*, aliiſque locis, *plures* ſemper e Medicis praecipuis, ſeu *Phyſicis*, quos & *Poliatros* adpellant, una cum optimis *Chirurgis*, ad cadaverum inſpectionem inſtituendam, convocare

---

(*a*) Conr. Wilh. STRECKERS Diſſ. iurid. de fide & legalitate Medici in inveſtiganda vulnerum lethalitate. Erford. 1735. §. V. VI.

(*b*) VALENTINUS Pandect. Med. legal. P. II. Sect. I. §. 2. p. 294. ALBERTUS, Iuriſprudentia Medica, c. 17. §. 13. p. 380.

ſolent ; & varii *Icti* monuerunt , ut , ſi haberi poſſint , *plures* Medici anatomes periti ad hoc opus congregarentur (*a*) ; Sique meam ſuper his opinionem adiicere liceat , crederem omnino , omnia ſic dicta ſingularium Medicorum *viſa* & *reperta* , quod ad concluſiones ex his deducendas pertinet , ubi de rebus maioris momenti agitur , ſemper Collegio Reipublicae Medico ex utroque ordine , tum *Medico* , tum *Chirurgico* , prius eſſe ſubmittenda .

Atque talis eſt in hoc *depoſitionis* opere *Phyſicorum* , atque *Chirurgorum iuratorum* Auctoritas : ut cum , in aliis rebus , *unius teſtis* reſponſio pro nulla utplurimum habeatur (*b*) ; *unius* tamen experti *Medici* vel *Chirurgi* ſtetur , in quamplurimis Regionibus , teſtimonio , & quidem ſcripto (*c*) . Atque , cum peritis in arte fides adhiberi iubeatur (*d*) : Rectum hoc eſſe in rebus quoque arduis , vitamque vulnerantis reſpicientibus , variis argumentis defendit LAMPIUS (*e*) , ipſique *Supremi Imperii* Tribunalis

---

(*a*) TENZEL , Diſſ. de Inſpect. Cadav. iudicial. p. 19. 21.
(*b*) AMSEL , Diſſ. vulgato dicto , unus teſtis , nullus teſtis , oppoſ.
(*c*) Per C. C. C. Art. 149.
(*d*) L. 1. pr. ff. de inſpic. ventre .
(*e*) L. c. §. XLVII.

quondam *Aſſeſſores* , praeſertim ubi *plures* ad teſtimonium perhibendum Medici tam facile advocari non poterant , ſuffragabantur (*a*) . Non interim hanc ego conſuetudinem ubique adprobaverim ; atque , ubi de vita hominis agitur , huic artis meae privilegio facile & lubenter renunciaverim . Quare & *Eccleſiaſticae* Leges , rectam in his exceptionem fecerunt (*b*) , atque pluribus in Provinciis , ſi plures haberi potuiſſent, ad deponendum Medici, unius teſtimonio a Iudicibus in rebus difficilibus , Leges , acquieſci non permittunt (*c*) , ſed reos , ſi quae in eos ſententia ſic lata fuiſſet , *appellationis* iure gaudere concedunt (*d*) . Sed & alia eſt *Phyſicorum deponentium* auctoritas . Neque enim , antequam deponant , de novo illis ſemper iurandum eſt ; ſed vis *Iuramenti* ab initio officii praeſtiti , ad omnes ſeſe actus extendit (*e*) . Fuerunt quidem , qui & aliis Medicis , ante

(*a*) GAIL. Obſervat. pract. L. II. Obſerv. VIII. MYNSINGER , Obſervat. Cameral. Cent. VI. Obſ. 34.

(*b*) C. 18. X. de Homicid.

(*c*) Koenigl. preuſſ. Criminal. ordn. c. 3. §. 9. pluresque aliae V. LAMPE , l. c.

(*d*) FELTMAN de cadavere inſpiciendo ; c. 42. n. 3. p. 165. LAMPE , l. c.

(*e*) KRESS. ad ord. Crim. Carol. art. 149. n. 3. p. 331. CARPZOV. Pr. Crim. P. I. qu. 26. n. 20. ſeq.

legalem inſpectionem, iuramentum non eſſe imponendum, ſed ſufficere illud crediderint, quod in actu *promotionis* ad dignitatem *doctoralem*, ab illis praeſtitum fuerit: modo ſcilicet in Academia, ubi *promotio* facta, iuramenti formula ita concepta ſit, ut actus *ſectionis*, *inſpectionisque* ſub ſe complectatur: atque hunc in modum facultas iuridica *Halenſis* reſpondit (*a*). In Camera vero, nec non in dicaſteriis *Wirtenbergicis*, talia iuramenta generalia nequaquam ſufficiunt; ſed *ordinationi criminali* paulo preſſius, nec ſine ratione, inſiſtitur (*b*). Praecipue cum non ubique haec pars Medicinae accuratius ſoleat tractari.

Medicinae Doctores. Ad ipſos nunc in *Medicina Doctores* venio, in quos magna hucuſque fuerunt Reipublicae beneficia. Dignitas *Doctoralis* in genere, ut videtur, ſub LOTHARIO *Auguſto Saxonico* orta eſt (*c*); alii ex Bulla Papae GREGORII IX., Pariſienſibus (an. 1231.) conceſſa, repetunt (*d*). Multo vero prius illa

(*a*) Conf. II. for. Halenſ. §. I. lib. I. conſ. 9. n. 8.
(*b*) HERTIUS, de inſpect. ocul. §. 32. ALBERTI, Iuriſprud. Med. c. 17. §. 13. STECKERS, Diſſ. cit. §. VII.
(*c*) CORAS. ad l. 2. §. 48. n. 9. ff. de O. I. ITTERUS de gradibus Academicis, c. 3. §. 9.
(*d*) BULLAEUS, Hiſtor. Univerſ. Pariſ. T. III. Diſſ. 7. LAMPE, l. c. §. IX.

ICtorum propria fuit (*a*); nec niſi ſerius ad *Medicam* quoque facultatem coepit derivari (*b*): ut quae diu *Magiſtros*, nec ipſis Regis Galliae Archiatris ſaeculi XIV. exceptis, aluit. Augusti ſic CAESARES, *Doctores* tam Iuris, quam Medicinae circa pröedriam & veſtitum ornarunt (*c*); atque praerogativam, quae *nobilibus Equeſtris dignitatis* tribuitur, pari ratione & gradu Doctoribus conceſſerunt (*d*): ita ut *Doctoribus* inter *Equites* & *Nobiles*, tributus ſit locus. Atque cum *Nobiles* ipſi legem de praecedentia interpretarentur, litemque de ea, *Doctoribus* coram *Imperatore* moverent, in favorem *Doctorum* lis illa a CAROLO V. fuit compoſita (*e*): poſtquam ſc. *Doctores* ſua ſponte, peculiari ſcripto, ſe per id, *Nobilium privilegia ſanguinis* aucupari nolle, expoſuerant (*f*). Pari ratione in cauſſa Doctorum Francofurtenſium ad Moenum, ſingula illorum privi-

(*a*) VULREJ. ad §. 9. n. 17. Inſt. de I. n. 9. & C.
(*b*) BERT. P. I. concl. pract. 55. n. 94.
(*c*) Receſſus Imper. de 1500., tit. 22. §. 5.
(*d*) Ibid. §. 7. 8. Receſſus Imper. de 1512. §. „ Item ſollen die 8. Rachte “. Receſſ. Imp. de 1548. tit. II.
(*e*) KLACKIUS Tr. de Contrib. c. 15. 353.
(*f*) ITTERUS, c. II. §. 25.

legia a Divo *Imperatore* IOSEPHO I. confirmata ſunt (*a*); quemadmodum Profeſſores antiquiſſimae Univerſitatis, quae *Toloſae* eſt, & nunc *Equeſtri* dignitate ornati incedunt (*b*).

Hae tamen leges certe nonniſi cum iudicio ad noſtra tempora poſſe accommodari, facile omnibus patebit. Quemadmodum enim *ſervilis* multorum quorundam Medicorum conditio, artis nobilitatem non potuit extinguere: ita nec Doctoralis, quaecunque ſit, aut fuerit, dignitas, ſcientiae, quod in ſe ipſa non habeat, dare vix poterit.

Fuit tamen ſemper magna eorum in Republica numerus, qui ſe arti obtruderent, ut eiuſdem participarent privilegiis, quin in addiſcendis diſciplinis, vel operam vel oleum impendiſſent. Ad hos, *Doctores*, a *Comitibus Palatinis* creari ſoliti, quoſque *bullatos* dicunt, pertinent. Eadem iura his, ac *Doctoribus* Medicinae via ordinaria *promotis*, attribuit MUHLPFORTIUS: dummodo in praeſentia duorum, vel trium Doctorum huius facultatis, examinati, & idonei inventi fuerint (*c*). Aliter

Doctores bullati.

(*a*) Ann. 1706. d. II. Decemb. „ Wen Wir einen jeden bey ſeinem ſtand u Weſen " &c.
(*b*) Etat de Médecine; anne 1776. p. 515.
(*c*) L. c. §. IV. Item Taute diſp. I. th. 7. lit.

enim, uti putat, CAESAREA MAIESTAS Comitibus Palatinis poteſtatem creandi Doctores nunquam conceſſiſſet (*a*). Interim uſu nunc ubique receptum eſt, ut eiuſmodi *Doctoribus bullatis*, praxis medica nullibi concedatur a Principibus; & cum non ita pridem a Profeſſore Iuris & Comite Palatino, eiuſmodi Doctor Medicinae in Electoratu Palatino eſſet creatus: *Diploma* ſibi ita conceſſum, ex mandato *Electoris Sereniſſimi* reddere fuit coactus. Quidquod & *promotos*, ſed in extranea facultate, *Medicinae Doctores*, a praxi Medica excludat mandatum *Electorale Saxonicum*, niſi tum *Lipſiae*, tum *Wittenbergae*, ſcientiae ſuae novum ediderint ſpecimen, atque *facultatis indigenae* ſe teſtimonio ſic provideant (*b*).

Ut vero nemo, niſi ſtricte examinatus, Medicinam exerceat, nota lex eſt (*c*). Iam ROGERIUS *Siciliae* Rex & *Salerni* Princeps,

---

a. Vol. I. Ibique HUNN. 9. 4. ARUM. diſc. ad A. B. cap. 5.

(*a*) HENN. de privil. ICtor. P. II. c. I.

(*b*) D. 13. Sept. 1768. Cod. *Aug.* Cont. T. I. p. 958. §. 6.

(*c*) Exſtat de hac re Conſtitutio IUL. in l. 7. 6. de Prof. & Med. ibi: „ iudicio ordinis probati". Add. Ord. Cam. Part. I. tit. 18. Verb. „ Und an welchem ort wol examinirt".

undecimo ſaeculo, lege ſanxit: nullum ſine Magiſtratuum permiſſione in praxi Medica debere verſari, niſi bonis ſuis velit ſpoliari. Confirmavit hanc legem FRIDERICUS BARBAROSSA *Imp.* & iuſſit, nullum pro Medico eſſe cenſendum, niſi *Scholam Salernitanam*, cuius ingens *duodecimo* ſaeculo per totam Europam ſama fuit, ſalutaverit (*a*). Demum MAXIMILIANUS II. Univerſitati *Argentoratenſi* privilegium conceſſit his verbis: „ Adhibito prius per ipſos Doctores & Profeſſores, in qualibet facultate, religioſo & diligenti examine, in quo conſcientias ipſorum Profeſſorum onerari volumus, quosque ſub iuramenti vinculo ad hos adſtringimus (*b*) “. Imo etſi aliquis, *Decreto* quondam *Ordinis Decurionum*, vel Collegii, pro idoneo habitus ſit, reprobari tamen potuit, non obſtante alia lege (*c*), quia favor publicus exigit (*d*). Collegium Medicum *Berolinenſe*, per Edictum (*e*) inſtituit: „ ne cui, niſi ex „ iudicio *Collegii* Medici auctoritate artem ſa- „ nandi exercere liceret “. Hoc ſalutare inſtitu-

---

(*a*) V. LAMPE, l. c. §. 19. 20.
(*b*) D. 30. Maii 1566.
(*c*) L. 9. ff. de neg. geſt.
(*d*) Ne ſcilicet minus idonei Medici civibus obtrudantur. BRUNNEM. ad l. 7. C. de Prof. & Med.
(*e*) De Anno 1685.

tum variis acceſſionibus Edicto novo auxerat FRIDERICUS I.; at FRIDERICUS II. id perfecit ſanciendo: ut qui artem ſanandi exercere cuperent, non publicis ſolum teſtimoniis artis medicae ſcientiam *Collegio Medico* teſtatam redderent; ſed etiam ut inprimis in Theatro publ. Anatomico, praeſentibus & iudicantibus Collegii Medici Profeſſoribus, ſectione cadaveris humani inſtituta, cognitionis in re anatomica adquiſitae, ſpecimen ederent. Atque haec cauta ſunt duplici *Edicto Medicinali* promulgato (*a*): in quorum ultimo Magiſtratibus iniungitur, ne *Phyſicos* vel *Urbium*, vel *Provinciarum*, multo minus vero Medicinae Doctorem, ad praxim medicam admitterent, niſi prius *Collegio Medico* ſeſe annunciaverit, ut eidem *Diſſertationem* ſuam *inauguralem*, cum teſtimoniis publicis exhibuerit, tum *caſum medico practicum* coram eodem elaboraverit, & in Regio Anatomiae Theatro in *ſex Lectionibus*, curſum ſuum Anatomiae abſolverit (*b*). Novum robur vero huic Ordinationi addidit Edictum Regis noviſſimum (*c*).

(*a*) A. 1715. & 1725.
(*b*) Tit. de Med. §. 2. p. 14. BOEHMER, Diſſ. cit. §. 2.
(*c*) D. 7. Maii 1767.

Idem iam GREGORII XIII. fuit ſtudium: qui peculiari *Bulla* decrevit, ut *Collegium Phyſicorum*, quod *Romae* floret, examen eorum, qui Medicinam publice profiterentur, ſuſciperet, & quos ad Medicinam exercendam non idoneos nec ſufficientes repererint, exercitio Medicinae prorſus interdicerent; ſeu ab ipſo exercitio ad tempus, & donec in hoc ſtudio maiores fecerint progreſſus, ſuſpenderent; aut eis, ne dictam artem, niſi cum praeſentia alterius, vel aliorum Medicorum idoneorum & a *Collegio* iſto approbatorum, ullatenus exercere audeant, prohiberent (*a*). Iam vero ſaeculo XIII., in Statuto Facultatis Medicae *Pariſienſis*, contra illicite praticantes, „ ſub omni poena ab utraque inſti„ tia, tam Saeculari, quam Eccleſiaſtica, con„ cedenda, ne aliquis *Iudaeus* vel *Iudaea* in „ aliquam perſonam fidei Catholicae, Chyrurgicè „ ſeu Medicinaliter operam praeſumat (*b*)".

Cum vero *Diſſertationes inaugurales Medicae* vel ab ipſis Profeſſoribus, aut Doctoribus hucuſque, ſub nomine Candidatorum Medicinae, magna ex parte conſcriberentur, vel utplurimum abſque inſigni in rem litterariam emo-

---

(*a*) A. 1576. Bullar. M. T. II. p. 407.
(*b*) A. 1271. vel 1281.

lumento ab his ipſis, ſi paucas excipiamus; elaborari coeperint: nullam tandem Candidato, in publico fidem conciliare maiorem potuerunt. Iuſſit ergo hoc ipſo anno IMPERATOR SUMMUS, ut rigoroſo, ad ipſos aegrotorum lectulos, examine, a Profeſſore Medico, Candidati vires comprobarentur, nullus vero in poſterum ex illis ſe ad ſcribenda eiuſmodi ſpecimina ſciret eſſe coactum.

Tempus addiſcendo arti determinatum.

Tempus quoque in addiſcenda arte conſumendum, quamvis pro varia ingeniorum indole varium eſſe queat, legibus eſt determinatum. THESSALUS quondam, qui, *Romae*, veteres Medicos, & praecipue HIPPOCRATEM, ſpernendos omnino eſſe, publice docuerat, auſus quoque eſt artis Medicae regulas *ſex menſium* tempore promittere: quo dein modo quamplurimos diſcipulos facile comparavit, nec altera ulla diſciplina hos egere defendit (*a*). Cum vero huius viri ſententiam non ita vituperandam eſſe cenſuerit CHRISTIANUS etiam THOMASIUS: haberem certe, quae duriora videri poſſent, reſpondenda, niſi *magni viri* cineres, cui infauſtos praecipue *Sagarum Proceſſus* ex foro eliminatos debemus, piè venerarer.

(*a*) GALENUS, Method. Med. Lib. I. c. I.

Superſunt duae leges FRIDERICI II. *Imp.* quas, Regno *Neapolitano* occupato, pro *Scholæ Salernitana* dederat, a me hic memorandae: „ Quia nunquam, ait IMPERATOR, ſciri „ poteſt ſcientia Medicinae, niſi de ſcientia „ logicali praeſcribatur; ſtatuimus, quod nul- „ lus prius ſtudeat in Medicinali ſcientia, niſi „ prius ſtudeat ad minus *triennio*, in ſcientia „ *logicali*: poſt triennium, ſi voluerit, ad „ ſtudium *Medicinae* procedat: ita quod Chi- „ rurgiam, *quae eſt pars Medicinae*, infra „ praedictum tempus addiſcat. Poſt quod, & „ *non ante*, concedatur ſibi *licentia praticandi*, „ examinatione iuxta *Curiae* formam praehabita, „ & nihilominus recepto pro eo de praedicto „ tempore ſtudii, teſtimonio Magiſtri. Iſte Me- „ dicus iurabit ſervare formam *Curiae* hacte- „ nus obſervatam, eo adiecto, quod ſi per- „ venerit ad notitiam ſuam: quod aliquis *con-* „ *fectionarius* minus bene conficiat, *Curiae* de- „ nunciabit; & quod pauperibus conſilium gra- „ tis dabit". — „ Nec tamen poſt comple- „ tum *quinquennium* practicabit, niſi *per annum* „ *integrum*, cum conſilio experti Medici pra- „ cticetur. Magiſtri vero infra iſtud *quinquen-* „ *nium* libros authenticos, tam *Hippocraticos*, „ quam *Galeni*, in ſcholis doceant, tam in „ theoria, quam in practica Medicinae. Sa-

„ lubri etiam Conſtitutione ſancimus, ut nullus *Chirurgus* ad practicam admittatur, niſi teſtimoniales litteras afferet Magiſtrorum in *Medicinali facultate* legentium, quod per *annum* ſaltem in ea parte Medicinae ſtuduerit, quae Chirurgiae inſtruit facultatem, & praeſertim anatomiam humanorum corporum in ſcholis didicerit, & ſit in ea parte Medicinae perfectus, ſine qua nec inciſiones ſalubriter fieri poſſent, nec factae curari ".

Quinque ergo pro *ſtudio Medico* annos, ſextum vero pro *Clinicis* occupationibus, FRIDERICUS II. *Imp.* deſignavit. In *Angliae* vero & *Irlandiae* tribus Univerſitatibus, tum *Oxonienſi*, tum *Cantabrigienſi*, tum *Dublinenſi*, quae ſingulae eiſdem reguntur legibus, & omnes fere Medicos Londinenſes largiuntur, *quatuordecim anni* ad ſummos in arte honores auſpicandos, requiruntur. In Statutis *Facultatis Medicae Pariſienſis*, iam ſaeculo *decimo tertio* iniungebatur Studioſis Medicinae: „ Dabunt fidem Decano vel alii, Decani officium tunc gerenti, vel coram tota facultate, quod in Medicina audiverint per *tres annos*, *novem menſes* & ſint in *quarto* de quo audiverint per *quinque menſes*; Et ſi BACHELARIUS de quolibet dictorum annorum per novem menſes Medicinae ſtudio non vacavit, nihilo-

„ minus eidem legendi curſum concedatur, dum„ modo per tres & duos menſes BACHELA„ RIUS dictae ſcientiae ſtuduit pari diligentia, „ ſcilicet audiendo ordinarie, non computato „ tempore vacationis". Pro *Bacalaureatu* ergo Medicinae tres ad minimum anni cum dimidio, pro *Licentiatu* vero *quinque* vel *ſex* anni requirebantur (*a*). Nullus vero ex Medicis pro *Magiſtro* haberi potuit, quem nunc *Doctorem* dicimus, niſi ad minimum *per duos annos Medicinam* ſine interruptione ipſe docuiſſet (*b*). Hodierno tempore a Regibus *Galliae* lex ſancita eſt, ut, qui Doctoratus honores ambiunt, *per tres annos* Univerſitatem, in qua gradum ſunt aſſumpturi, frequentandam habeant. Omni tertio menſe facienda inſcriptio; lectionibus exacte aſſiſtendum, pluraque examina ab iis ſunt ſubeunda (*c*). In *Saxonia tres* ſtudio Medico anni ſunt conſecrandi, quorum ad minimum *duos* in patriis Academiis, Studentes habent tranſigendos (*d*).

(*a*) De la Médecine en France, p. 110.
(*b*) L. c. p. 143.
(*c*) Réglement pour l' Étude & l' Exercice de la Médecine, donné à Marlis au mois de mars 1707. Art. IX. X. — L' Anarchie Médicinale, ou la Médecine Conſiderée comme nuiſible à la Societé, per M. GILIBERT, II. P. p. 64.
(*d*) Diſpoſit. d. 19. Febr. 1773.

Quemadmodum vero dignitas *Doctoralis* inſignibus ornata privilegiis, nonniſi certo ſcientiae gradu, annorumque huic impenſorum numero potuit adquiri: ita & magna erant Medicinae *Magiſtris*, dein *Doctoribus* impoſita per *leges* officia. OFFICIA.

Iam *Aegypti* Medici, legibus erant adcurate circumſcripti. Medicinam enim exercebant ex lege ſcripta. Si, hanc ſecuti, aegroto ſanitatem reddere nequibant, culpâ vacarunt & indemnes abierunt: ſi contra praeſcriptum egiſſent, *capitis iudicium* ſubibant. Poſt *quartam* autem morbi diem movere aliquid licebat: ſi quis Medicus antea auſus fuerit, ſuo ille periculo erat curaturus (*a*). DARIUS, *Perſarum* Rex, cum equo in venatione exſiliret, pedem luxavit, nec ipſius Medici *Aegyptii* potuerant reſtituere; reſtituit vero DEMOCEDES, Graecus: lata hinc eſt in illos a Rege, *crucis ſententia*, quam DEMOCEDES nobili ingenio deprecatus eſt (*b*). Hinc lex in *Perſia* ſubſiſtit, ut *Medici*, demortuo Rege aut eius filio, aula exulentur cum *Aſtrologis*: illi, quod morbum curare, hi, quod praedicere mortem non ſci-

(*a*) ARISTOT. Politicor. III. cap. 2. DIODOR. SICUL. Lib. I. CLEM. ALEX.
(*b*) HERODOT. Lib. III.

verint ; ex qua conſuetudine & DANIELIS Exilium poſt mortem NABUCHODONOZORIS, ex aula *Perſiae* explicat cl. HORMARS (*a*). In *Bengaliae* Regno, *Medici inexperti* pro *furibus* recte habentur, atque ut tales puniuntur (*b*). In genere, quicunque artem profitetur, cuius ſolidam ſcientiam non habet, is, ſiquid ex imperitia committit, culpae reus eſt (*c*). Nemo enim affectare debet, infirmitatem ſuam aliis periculoſam fore (*d*). Lex eſt, quae Medicum imperite ſecantem, vel perperam medicamentum exhibentem, vel curationem derelinquentem, aut ſimile quid admittentem, actione ex L. *Aquilia* conveniri poſſe concedit (*e*); alia vero, qua haeres Medici inſidias ulciſci iubetur (*f*). Neque, quod per *imperitiam* commiſit, Medico non imputatur; nec praetextu humanae fragilitatis delictum decipientis in periculo homines innoxium eſſe oportet,

---

(*a*) Obſervations on divers paſſages of Scripture.
(*b*) A Bode of gentoo Laws. From a Perſian tranſlation made from the original, Written in the SHANSERIT Language.
(*c*) L. 132. ff. de reg. iur.
(*d*) L. 8. §. ff. de oblig.
(*e*) ULPIANUS, l. 7. §. 8. ff. ad L. *Aquil.*
(*f*) HERT. Diſſ. de haered. occiſ. Vind. ad tit. ff. de SC. *Silan.* Sect. I. §. 7. Opuſc. I. T. III. p. 280.

ſed culpae is reus intelligitur (*a*). Cadit vero *imperitiae* crimen in eos, qui contra artis regulas aliquid admiſiſſe probari poſſunt, & qui, artis ignari, ſe illi immiſcent (*b*). Quare, dum Medicus ex *negligentia*, vel ex *defectu amicitiae*, interim abſque propoſito, cuique mortis ſuae auctor fuerit, atque per doctos artiſque peritos Viros eruatur, illum medicamentis incongruis, illicitis, ex *levitate animi* vel *audacia* eſſe abuſum, quibus mortis cauſſam demum dederit; illum pro rerum natura & peritorum de his iudicio puniendum eſſe: in quo vero praecipue in illos vigilandum ſit, qui audaci animo, quamvis artis imperiti, medicamenta aegrotis porrigere non reformidant (*c*). In tanta legum ſeveritate, magnas mehercle gratias referant humo medici, quo errores illorum benigno ſaepe obteguntur Cortice, neque ſors illos ſpectat iniqua Archiatrorum Regis *Franciae* GUNTRAMI, cuius uxor AUSTREGILDIS a marito moriens petiit, ut binos medicos, quos mortis ſuae cauſſam eſſe

(*a*) ULPIANUS, l. *6*. §. 7. ff. de off. praeſt.
(*b*) Conſt. Crim. CAROL. V. art. 134.
(*c*) De puniendis Medicis. Vid. LAMPE, l. c. p. 167. 69. — GONZALEZ libr. Decretal. T. I. p. 483. 4.

credebat, morti quoque committeret, gratiamque mortua obtinuit (*a*).

Quando vero Medici, in magnis malis, alios minus peritos, vel Candidatos, vel Chirurgos artis Medicae forte non potentes, ad ſibi *referendum* ad aegrotos mittunt, non minus ex culpa abſentiae & deſertionis accuſandi ſunt, (*b*) graviterque puniendi, ubi aegrotus ex morbo perierit: non enim hic de glande legenda, ſed de vita hominis diligenter ſervanda agitur, paremque in iure habent conditionem, non adeſſe, & haud commode adeſſe (*c*). Quare & in Ordinatione iam adducta *Imperatoris* FRIDERICI II. de Medico, cui artis ſuae exercitium committendum eſt: „ Iſte Medicus viſitabit „ aegrotos ſuos ad minus *bis in die*, ad requi„ ſitionem infirmi, *ſemel nocte*: a quo non „ recipiet per diem, ſi pro eo non egrediatur „ civitatem vel caſtrum, ultra dimidium *Tarre„ num* auri. Ab infirmo autem, quem extra „ civitatem viſitat, non recipiet per diem ultra

(*a*) GREGOR. TOURENSIS, L. 5. c. 35.
(*b*) Per §. 6. Inſt. de L. *Aquil.*
(*c*) Arg. l. 14. §. 2. D. de Leg. III. l. 8. §. 2. D. de bonor. Poſſ. contr. Tebb. l. 4. §. 6. D. de re iudic. Vid. Caſp. QUESTELII Diſſ. iurid. de pulvinari morientibus non ſubtrahenda Ienae 1698. p. 21.

„ tres tarrenos „ cum expenſis infirmi : vel ultra „ quatuor tarrenos cum expenſis ſuis . Non contrahat *Societatem cum Confectionariis* , nec „ recipiat aliquem ſub cura ſua ad expenſas „ ſuas , pro certa pretii quantitate ; nec ipſi „ etiam habebit propriam ſtationem (*a*) “ .

Phyſicos , qui annona publica ſuſtinentur, ad omne quodcunque Medicum adſtringi , per ſe patet ; aſt & alius Medicus , ubi *ſolus* , vel *quaſi ſolus* , in civitate degat , *peſtis* etiam tempore, ad aegrotum viſitandum cogendus erit (*b*) . Medendi enim officium , in ſe iam munus publicum ſiſtit (*c*) , quod quilibet , etiam invitus , *regulariter* ſubire tenetur (*d*) . Etiam ubi plures alii Medici in civitate ſunt , aeger autem in ipſum habeat fiduciam , quae multum operatur in eius ſalutem , opinante ſic PAULO ZACHIA (*e*) , eſſet cogendus.

(*a*) CHRISTIAN. THOMASIUS , de iure circa pharmacopolia civitatum. Halae Magdeb. 1697.
(*b*) PAUL. ZACHIAS , Quaeſt. Med. legal. T. III. Conſ. 71. n. 1. 25. & ſeq.
(*c*) IO. FRANC. RIPA , Tr. de Peſte , c. VII. n. 90.
(*d*) L. fin. 18. §. 1. & 28. D. de muner. & honor. l. 13. 2. de Vac. & Excuſ. mun.
(*e*) L. c. T. II. Lib. 6. tit. 1. qu. 6. n. 7. ſeq. p. 457. QUESTELIUS , l. c. cap. 2. §. III. p. 21. 22. 23.

Medicus ergo tam publice conſtitutus, cuique petenti, neceſſariam opem largiri debet, etiamſi *hoſtis* ſit, vel alios conſulerit: eo ipſo enim, quo medicamenta a te petit, manum quaſi porrigit, & reconciliandi animum oſtendit (*a*); — quam etiam illi, qui ex privatis ſalarium accipiunt, ad hoc tenentur: quia etiam is, qui nullum *ſalarium* ex Reipublicae aerario accipit, publicae ſalutis cauſſa inſtitutus eſt, eoque intuitu diverſis fruitur *privilegiis*.

Interdum etiam Medici convenit officio, ut aegrotum propriis ſumptibus curet (*b*); in fine autem morbi repetit, quae impenderit (*c*). Interdum etiam non repetit, & gratis curare pauperem obligatur: eo „ *quod laudabilius ſit obſequi tenuioribus, quam turpiter ſervire divitibus* (*d*).

Sed & *invito* non tantum & *reluctanti* ſubinde ſuccurrere debet (*e*): quia & invitus ex domo ruitura extrahendus eſt, & infirmus,

---

(*a*) SACHS l. c. §. IV.
(*b*) C. 1. Diſt. 83. l. 14. §. 13. ff. de relig. & ſumpt. funer.
(*c*) SACHS l. c.
(*d*) Vid. Gloſſ. ad c. 1. diſt. 83. Adde l. 1. §. 1. ff. de extraord. cogn. l. 1. ff. de decret. ab ord. fact. l. 9. C. de Prof.
(*e*) Gloſſ. in d. c. 1. Diſt. 83.

qui Medicum in caſu neceſſitatis admittere non vult, ſanae mentis non eſſe praeſumatur; ſed & ei, de cuius ſalute *deſperatur*: quia ſaepius morbus videtur *deſperatus*, cum tamen ſpes non penitus vana ſit. Iudicio ergo ſuo non plus eſt tribuendum, quam *pietatis* ratio permittit, & „ iniquum eſt, *deſperatum* vocare, „ quoties Medicina remedium non invenit (*a*)". Imo ſi morbus in totum *deploratus* ſive ſimpliciter *incurabilis* eſt, non tamen ab omni medendi conatu penitus abſtinere debet Medicus: nam

Requiem tamen indere morbo
fas erit, & triſtem ſaltem mulcere dolorem (*b*).

Neque minoris delicti eſt, curam ſemel inceptam, ex quacunque ratione, derelinquere (*c*). Hinc ALEXANDER III. GLAUCUM *Medicum* in crucem agi iuſſit, qui, *ut ſpectaculis intereſſet*, *Hephaeſtionem* *deſeruerat* (*d*).

Sed & aliae leges pro Medicis latae, etiamſi nonniſi *praecipuarum* hic mentionem facere con-

E 2

(*a*) QUINT. declam. 8.
(*b*) Vid. SACHS, l. c. ZACHIAS, l. c. lib. *6.* qu. *6.* t. 1. n. 29. BOHNIUS de officio Medici duplici, Clinico & Forenſi; c. 4.
(*c*) L. 6. Inſt. de L. *Aquil.* & l. 8. pr. ff. eod.
(*d*) PLUTARCHUS in ALEX. Vit. T. III. p. 1292.

tendam, ſunt adducendae. Hi enim, ad aegrotum vocati, quem *in periculo haerere* credere poſſunt, variis tam Eccleſiaſticis, quam Civilibus legibus adſtricti ſunt ad *Confeſſorem* advocari curandum: „ Cum infirmitas naturalis
„ nonnunquàm ex peccato proveniat, dicente
„ Domino, languido, quem ſanaverat: vade
„ & amplius noli peccare, ne deterius tibi
„ contingat, praeſenti decreto, ait INNOCEN-
„ TIUS III. ſtatuimus & directe praecipimus
„ *Medicis corporum*, ut, cum eos ad infirmos
„ vocari contigerit, ipſos, *ante omnia*, mo-
„ neant & inducant, ut *Medicos* advocent *ani-*
„ *marum*: ut, poſtquam fuerit infirmo de ſpi-
„ rituali ſalute proviſum, ad corporalis Medi-
„ cinae remedium ſalubrius procedatur, ut cum
„ cauſſa ceſſante, ceſſet effectus. Siquis autem
„ Medicorum huius noſtrae conſtitutionis, poſt-
„ quam per praelatos locorum fuerit publicata,
„ tranſgreſſor exſtiterit, tandem ab ingreſſu Ec-
„ cleſiae arceatur, donec pro tranſgreſſione hu-
„ iuſmodi ſatisfecerit competenter (*a*)". Lata vero haec lex dicitur, quod quidam in aegritudinis lecto iacentes, cum eis a Medicis ſuaderetur, ut de animarum ſalute diſponerent;

(*a*) Cap. 15. X. de poenit. & remiſſ.

in deſperationis periculum incurrant (*a*). Poenam vero Medicis *ſalutem* aegrotorum *ſpiritualem* negligentibus, ab INNOCENTIO III. impoſitam probavit & novis acceſſionibus adauxit PIUS V. (*b*). „ Quodſi qui Medicorum, in„ quit, praemiſſa non obſervaverint, ultra poe„ nas in dicta Conſtitutione contentas, quas „ incurrere declaramus, *perpetuo* ſint *infames*, „ & gradu Medicinae, quo inſigniti erant, „ omnino priventur, & a Collegio, ſeu Uni„ verſitate Medicorum eiiciantur, & poena etiam „ pecuniaria arbitrio ordinariorum, ubi deli„ querint, mulctentur". Sanxitque idem *Pontifex* (*c*): „ Ut nullus poſthac ubique locorum „ in Medicina *doctoretur*, aut ei quomodolibet „ medendi facultas a quovis Collegio & Uni„ verſitate concedatur, niſi omnia in hac prae„ ſenti Conſtitutione contenta medio eorum *iura„ mento* confirmarint". — „ Ordinarii (vero) „ iuramentum praedictum Medicis iam *promotis*, „ ſeu licentiam medendi habentibus, omnibus „ iuris remediis exigant, neque aliquos ad me-

(*a*) L. c. Vid. Iuſt. Henningii BOEHMERI Diſſ. de Medicorum animae & corporis in ſanandis aegris coniunctione. Halae Magdeb. 1736. §. 1.
(*b*) In Bulla a. 1566. promulgata.
(*c*) §. 6.

„ dendum in civitatibus & dioeceſibus praedictis „ admittant, niſi eis conſtiterit, eoſdem iuramentum huiuſmodi praeſtitiſſe, & contumaces, „ & iurare & iuramentum iam praeſtitum exhibere recuſantes, gradu Medicinae, & omnibus privilegiis eiſdem Medicis, tam coniunctim „ quam diviſim eis & eorum cuilibet conceſſis „ per quoſvis etiam Romanos Pontifices, pri- „ vent, & ab ingreſſu Eccleſiae arceant, donec „ reſipuerint (*a*)". Eaedem vero hae Ordinationes mox ab aliis Eccleſiis receptae ſunt. Cardinalis vero DE NOAILLES, cum Archiepiſcopus eſſet *Pariſienſis*, iniunxit (*b*) Medicis, ad exemplum *Conciliorum*, praecipue *Pariſienſis* (*c*), aliorumque Provincialium *Galliae*, ut ſuae dioeceſeos aegrotantes *ab initio morbi* admonerent, ut de *conſcientia* ſua cogitarent, neque illis de hac loqui differrent, donec a violentia mali impedirentur attento his rebus animo invigilare. De novo lex haec confirmata eſt (*d*), & ab aliis Epiſcopis imitata. Tandem *Regio* quoque *Mandato* (*e*) Medicis

(*a*) L. c. §. 7.
(*b*) D. 9. Mart. 1707.
(*c*) De ann. 1429.
(*d*) A. 1712.
(*e*) D. 8. Mart. 1712.

eiuſdem eſt iniuncta executio, ita quidem, ut *ſecunda* iam *die* viſitationum ſuarum, Medici aegrotos, febre, vel alio periculoſo morbo laborantes *de Confeſſione* abſolvenda admonerent, vel per affines moneri curarent: & quod, ſi haec minus in utroſque agere videantur, ut *Parochum* aut *Vicarium* aegroti, de his redderent certiorem atque facti ſui ab illis expetant *teſtimonium*. Ultro vero interdictum fuit Medicis tertiâ aegroti viſitatione atque curâ, niſi teſtimonio Confeſſoris, de illius vocatione aut praeſentia apud aegrotum, aut de peracta huius confeſſione, ipſis pateat. Quodſi *prima* vice haec neglexerit Medicus, *mulctam trecentum librarum* exhibeat; *ſecundâ*, ad minimum pro tribus *ab officio* menſibus *ſuſpendatur*; *tertiâ* vero dignitate ſua & *gradu privetur*, illius ex facultate Medica deleatur nomen, atque in omni *Galliae* Regno in perpetuum ſuo interdicatur officio.

Clarius vero prima legis occaſio, ex facta eiuſdem nova ſanctione (*a*) concipitur, cum eidem ordinationi tunc additum ſit: „ ut ſcilicet praefati aegroti, *praecipue vero ſubditi*

(*a*) D. 14. Maii 1724.

noſtri, *qui ad Eccleſiae ſinum de novo ſe converterunt*, conſolationibus ſpiritualibus, quibus indigeant, atque Sacramentis muniantur, ad quae per dictos aut *Parochos* aut illorum *Vicarios*, inveniantur praeparati! . . . .

Durum vero mandatum, duramque, in Bulla Papali, impoſitam Medicis poenam, neque ſatis delicto adaequatam eſſe, credebat ZIEGLERUS (*a*): praeſertim cum de *affinibus* quorum eadem & potior adhuc cura ſit, nihil tale inveniatur conſtitutum. Dein *ſceleratis* etiam a Medico ferendum eſſe auxilium, atque ſi ob negatam ſic opem homo mortuus fuerit, aut damnum ei illatum eſſet, culpae reum a Iuriſconſultis intelligi, defendit LAMPIUS (*b*). Quid ego de his ſentiam, hoc ſolum eſt; noſtris temporibus uniuſcuiuſvis Medici eſſe, ut & de propria ſibi fama caveat, atque dum periculum aegroto inſtare videat, id vel illi ipſi, vel, ſi ſenſilioris animi ſit, affinibus mox & in tempore patefaciat; neve opinioni locum concedat, ſe periculi diutius, quam par fuerit, manſiſſe ignarum. Neque tamen ideo reluctantem ſpiritualibus aegrotum, phyſico ſuo deſtituet

(*a*) Ad LANCELL.
(*b*) L. c. §. X. p. 150. 51.

auxilio, ſed tempus reſipiſcentiae, in quantum ille poteſt, prolongabit perſuaſus, cuique nunc a legibus conſcientiae ſuae libertatem concedi, neque ab his exigi, ut, ſat iam infelix aeger, in rebus maxime ſeriis aut pietatem quam non habet, ſimulet, aut memoriae ſuae iniquam inuri maculam videat. Quodſi vero Medicus, vel ob levitatem animi, vel ob ſuam in *prognoſi* imperitiam, aegrotum in periculo verſantem, de hoc ipſo admonere neglexerit, atque ſic occaſione, tum ſaluti tum rebus ſuis oeconomicis familiaribuſque proſpiciendi, fruſtraverit: meretur ſane, quem ipſa iam caſtigabit *conſcientia*, famaeque decrementum, a lege quoque notari.

Alia lex eſt, quae Medico certis quoque uti remediis interdixerit. In decreto enim INNOCENTII III. eodem, cuius ſupra mentionem inieci, dicitur quoque: „ Cum anima ſit multo „ pretioſior corpore, ſub interminatione *Anathematis*, prohibemus, ne quis Medicorum, „ pro corporali ſalute aliquid aegro ſuadeat, „ quod in periculum animae convertatur (*a*)“. Eadem fere in Statutis Provincialibus Archiepiſcopatus *Trevirenſis* video commendata (*b*). Poſ-

(*a*) Cap. 15. X. de poenit. & remiſſ.
(*b*) Hiſtor. Trev. diplom. T. II. c. 95.

ſunt vero haec, non inſuetas adeo Medicis quondam *incantationes* & *ſuperſtitioſa* reſpicere remedia; alia vero, & *continentiae* leges concernentia ſunt momenta: ad quae non ſemper admodum in ſanatione morborum videntur reſpexiſſe aliqui (*a*), neque ab omnibus Theologis ideo ſemper notati ſunt Medici. Alibi quondam de his plura notavi (*b*), queis ſuperaddere aliquid nec locus hic eſt, nec occaſio favet.

Alia ſunt, quae legibus circa Medicorum officia ſancita quidem non fuerunt, quae vero Legislator honeſtati eorum & morum probitati ultro credidit eſſe committenda. Haec ego, ſi hodie omnia vellem enumerare, non mihi dies haec ſufficeret, neque, cum a cl. GREGORY pridem tanto cum ſucceſſu fuerint pertractata, patientia Veſtra in his abuti contendo. Ut enim nunc PATRES Sapientiſſimi, AUDITORES Honoratiſſimi, Profeſſoris Medicinae Clinicae officium clementiſſime mihi demandatum legibus Academicis auſpicer, ad Vos me, novum

(*a*) Vid. HOFFMANNI Med. rat. ſyſtem. T. V. pag. 164. MESUE, cap. propr. HERCULES SAXON. &c.

(*b*) Medicíniſche Polizey I. Band. Vid. SANCHEZ de Matrimonio, Lib. IX. Diſput. 17. n. 19. T. 3. Vid. PAUL. ZACHIAS, l. c. L. VI. T. I. qu. V. n. 19.

apud Vos Hoſpitem, eâ, qua par eſt, pietate converto, Veſtramque benevolentiam, favorem, amicitiam imploro. Patriam dilectiſſimam, in me certe non ingratam, affines, amicos, ut CAESARIS AUGUSTISSIMI iuſſui obtemperarem, tantiſque Viris intereſſe liceret, dereliqui, omnemque in Vos fiduciam ignotus adhuc poſui; felix, ſi & SUMMI IMPERATORIS exſpectationi tandem ſatisfaciam & partem aliquam honoris, quo haec celeberrima Academia apud omnes fruitur, meam faciam. Vos autem Commilitones optimi, quibus Legum in Ordinem Medicum favores, beneficia & rigorem hodie expoſui, — quae Veſtra ſint, quid Reſpublica, quid Patria, quid Parentes, quid aegrotorum, curae quondam Veſtrae committendorum ſalus, quid honor proprius & vitae Veſtrae felicitas a Vobis exſpectent, ex dictis facile conſpicietis. Magna ſunt *Medici veri* in genus humanum officia: partem illorum alteram, ad aegrotorum lectulos exponam & artis principia, quae ex ore tantorum Praeceptorum hauſiſtis felici experientia comprobabo. Mereamini quondam honorificum Medici titulum; neque tamen credite, levi illum mox niſu comparari vel ſi comparatus ſic fuerit, tam facile poſſe conſervari. Medici autem vel ignari atque inexperti, vel legibus refragantis, ingentia in Rempublicam facinora ſunt: is amici facie inter cives

ſuos incedens, ſine diſcrimine ſingulos, favente tempeſtatis aut Epidemiarum iniuria, improviſo adgreditur, tantaſque tum ignorantiae ſuae, tum audaciae, tum crudeli petulantiae atque avaritiae victimas ferit, quantas apud ferociſſimos populos nullus unquam, vel exercitatiſſimus *Sacrificator* inſenſo numini vindicavit. Abhorretis hominem, cuius manus, benefactorum, amicorum parentumque dulciſſimorum ſanguine fumant, quique tacitae peſtis in Republica ſimulacrum ſiſtit?.... Cavete, ne in Vos ipſos forte, ſi labores quos nunc ſuſcipitis, leviori animo abſolvatis, ſententiam feratis, atque minus adhuc rigoris legibus in Medicos, quam in caeteros malos cives eſſe comprobetis. Sed alia certe ſperare a Vobis iubent & induſtria Veſtra, & magnus in artem fervor, quo laeſae in aegrotis naturae leges ſtudio proſequimini, — humanitatis ratio, qua aegrotorum querelas ſuſcipitis, atque in extricandis artis regulis lenimen eiſdem quaeritis, fiducia denique Veſtra, quam in me ipſum ponitis, quamque, ut tam de Vobis, quam de Republica bene merear, quovis officiorum genere & fovere & pro viribus augere Vobis ſancte promitto.

IOANNIS PETRI FRANK

MED. CLINIC. PROF. P. O. &c.

ORATIO ACADEMICA

D E

VESICA URINALI EX VICINIA MORBOSA AEGROTANTE.

Die XXIX. *Aprilis* MDCCLXXXVI.

recitata .

ORATIO ACADEMICA

De Veſica urinali ob viciniam morboſam aegrotante.

QUemadmodum in quavis Societate degentibus, magna vitae in eo poſita eſt felicitas, PATRES *Sapientiſſimi*, & AUDITORES *Honoratiſſimi*, ut probo quivis atque pacifico *vicino* gaudeat, amicoque eiuſdem utatur conſortio: talis certe & ſingulorum homini conceſſorum viſcerum conditio mihi videtur, quae, ſi in aliorum poſita ſint vicinia, quorum ſubſtantia ignem ſemel ſuſcepit; eodem facile, & inopinanter incendio deflagrant.

Dignam hinc ſemper experto Medico credidi Materiam, *morborum, qui ex vicinia morboſa oriuntur*, perſcrutationem, neque pars haec Medicinae, attentione noſtra certe digniſſima, mihi ſatis adhucdum videtur exculta. Aſt vero cum, ob plurimos alios labores, mihi & in hos deſcendere, data non ſit potentia: aliquot ſaltem *de veſica urinali ob*

viciniam morboſam aegrotante fragmenta, hac occaſione collaturus ſum, qua Viris iuvenibus Lauream Medicinalem imponendi pergratum — eoque gratius certe officium in me, pro prima vice, nunc hoc in loco ſuſcipio: quod uterque ex illis, eiuſdem Patriae fontes medicinales hauſerit, quibus & ego quondam enutritus ſum; quodque in hac ipſa noſtra Academia, *Germanis* quoque, ob Vos ipſos, PATRES *Sapientiſſimi*, quos nunc alloquor, celebratiſſima, ſe tales ambo praeſtiterint, ut mihi, dum in *Italia* ſcientiae ſuae ſpecimen publicum illis edendum eſſet, non certe fuerit coram aequiſſimis iudicibus erubeſcendum.

Sed nova gaudii honoriſque in me redundat ratio Auditores! ipſe enim ego, quem ante paucos annos REX MAGNAE BRITANNIAE POTENTISSIMUS, *Georgiam Auguſtam*, pro docenda ibidem praxi medica, vocari clementiſſime dignatus erat, ut *primus* eſſem, qui, *Catholicae* fidei addictus, Cathedram in hac magni nominis Academia, aſcenderem, & Tolerantiae, & Aequitatis Regiae teſtem agerem publicum, — nunc demum & SUMMI IMPERATORIS gratia, me in hanc honorificam Sedem collocatum, atque de novo, *Tolerantiae* etiam *Imperatoriae* inſtrumentum fieri video, qua Virum iuvenem,

Proteſtantium religioni adſtrictum, fraterno animo amplectar, Doctorum Univerſitatis noſtrae Regiae Albo inſcribam, & ſic partem honoris *Georgiae* meae dilectae publice reddam, quem publice in me tam benigne contulerat. Hi fructus ſunt, PATRES *Sapientiſſimi*, divinae illius *Tolerantiae*, cuius *Pater* eſt, *Quem* nos tot aliis adhuc titulis *Patrem* vocamus, & in quo gloriamur omnes, IOSEPHUS II. IMPERATOR AUGUSTUS. Sub *huius* Regno, iam ante complures annos (*a*), in hoc ipſo Archigymnaſio, non obſtante Religione aliena, Laurea Medica ſolemniter ornatus eſt *Ferdinandus Quex ex Caſſonay*, *Bernenſis*; atque ante quinque hos annos, hanc ipſam Cathedram conſcendit celeberrimus TISSOT, Praedeceſſor meus, *Proteſtanti* quoque *Eccleſiae* adſcriptus: ita ut, quod priora vix crediſſent ſaecula, ipſa, ſub tali IMPERATORE, prima tolerantiae Exempla, convulſo interim, & frendente in tenebris fanatiſmo, dederit *Italia*.

Sed quo non mea me gratitudinis, ob tanta in genus humanum beneficia, ſenſatio abripit! — ad ea pergam, quae vobis de

(*a*) *Die* 16. *Martii* 1775.

Veſicae morbo ex vicinia morboſa oriundo, promiſeram, eaque brevi ſermone nunc abſolvam.

Viſcera in pelvi humana ſita, feminae tria ſunt, viro, ut aiunt, non niſi duo: veſica urinalis & inteſtinum rectum, inter quae, medium gerit mulier uterum, generis humani commune domicilium: cuius tamen vices in viris, non certe minores, agunt veſiculae duae, ſpermati prolifico tum ſuſcipiendo, tum fovendo, a natura providiſſime adaptatae. Tam vaſis & membranis, quam fibris muſcularibus, arctiſſime inter ſe cohaerent haec organa; neque ſane mirum videbitur, ſi, aegrotante uno, & alia mox in conſenſum rapiantur homini infenſiſſimum. Maiora omnino mulierem hic exſpectant pericula: cum uterus, praecipue gravidus, cum partûs tot aliae ſequelae, tum veſicam cum urethra, tum inteſtinum rectum, non raro gravi morbo, licet ſecundario, afficere ſoleant. Sed & virorum ſors his incommodis vacua certe non eſt, atque haec ulterius docebunt tria, quae nunc afferam, exempla: a quorum commemoratione utilitatem in meliori horum affectuum cognitione aliquam futuram eſſe confido.

Pharmacopola Bruchſalienſis, 50. circiter annorum [N. Eichhaendler), a longo iam

tempore haemorrhoidum fluxu vexatus, atque, hoc ipſo minus recte ſuccedente, magnis ſaepe cruciatibus ad rectum inteſtinum obnoxius, quos, immanes licet, patienti animo perferre ſolebat, poſt longa huius naturae incommoda, alvum ſibi liquidiorem fieri urinamque penitus ſupprimi, perſenſerat. Atque haec quoque ſymptomata vir moroſus & in ſe ipſum perdurus, ſilens pertulerat: donec lecto continuo affixus, viribus exhauſtus, habitumque ſumme cacheticum praeſeferens, ſero nimis opem a me efflagitare cogitaverit [1780.] febris aderat hectica, abdomen tumidum, pedes turgebant, & nolenti effluebat per alvum ſanies & *humor urinam redolens*, cum interim ſaepe per quindecim dies & ultra, nec guttula urinae per urethram redderetur. Non raro vero per ipſam virgam *flatus* foetidiſſimi aliquo cum impetu erumpebant: per aliquot iterum dies ſequebatur urina magni foetoris, perpauca, turbida; mox de novo ſupprimebatur per longum temporis intervallum, atque alvi repetito viam relegebat lotium, quod, pure remixtum, intolerabili foetore athmoſphaeram replebat, ut nullus fere aegrotanti adſtare amplius potuerit.

Sedem mali altiori inteſtini loco poſitam fuiſſe, vel ex eo clarum eſt, quod, adcu-

ratius inquirenti per digitum Chirurgo, mali veſtigium nunquam pateret. Morbum hinc lethalem facile praevidens, optavi ſaltem, ut, poſt mortem certam, paulo adcuratius in cauſſas inquirere liceret; aſt, dum, quo tempore ad Sereniſſimam Principem *Bado-Badenſem*, cuius tunc quoque Archiatri vicibus fungebar, vocatus eſſem, deceſſerit Aeger: cum eodem ſpes utiliſſimae ſectionis ſepulta eſt.

Mox vero alius non adeo abſimilis caſus ſeſe mihi obtulit in Viro Muſices Magiſtro [D. Freibott] *Bruchſalienſi*, habitus valde ſcrophuloſi & pinguis, aetatis 64. circiter annorum. Aegroto quidem Medicus ego vix adſtiteram; ſed urinam parciſſimam, valdopere foetidam emiſſam, dein penitus ſuppreſſam fuiſſe ex alio intellexi: unde, praetumido ventre, ſub ſummis doloribus extinctus eſt. Sectionem Cadaveris cum Chirurgiae Profeſſore, Doctore *Wrabetz* inſtitui, illaque mox obtulit inſignes Meſenterii infarctus & carcinomaticos tumores, qui cum *Veſicae* fundo concreverant, eandemque ichore plane corroſivo & inſigniter foetido adeo iam exeſerant, ut largo oſtio patens veſica urinalis, in ipſum pelvis cavum effuderit lotium, quod, cum Ichoris Carcinomatici magna copia commixtum, tam intolerabilem ſub ſe-

ctione foetorem ſparſerat, ut ſine animi inſtante deliquio, accuratiorem ſectionem continuare non licuerit.

Licuit vero talem, anno elapſo, in ipſa huius Archigymnaſii *Schola Clinica*, coram Auditoribus meis, inſtituere; cuius hiſtoriam morbumque praegreſſum hic paucis enarrabo. Medicum aſſiſtentem conſtitueram D. Doctorem Aloyſium *Bulliani*, atque ex huius, mihi, uti lex apud nos eſt, exhibito diario deprompptam hic ſymptomatum recenſionem communicabo.

Sacerdos Venetus, *Victorius Delulmo*, ſeptuaginta trium annorum, poſt iter ſuſceptum, inaſſueta debilitate ſe correptum perſenſit & appetitu inceſſit proſtrato. Succeſſit reſpirandi difficultas, dolor ad hypochondrium dextrum, uſque ad regionem umbilicalem huius lateris deſcendens. Hypochondrium quoque ſiniſtrum, tumorem manibus offerebat: quibus ſymptomatis per binos menſes vexatus, Scholam Clinicam petiit, cui tunc praeerat celeberrimus Collega, illuſtris Profeſſor CARMINATI, atque inventus fuit, tum hepatis, tum lienis, tum ipſius quoque meſenterii tumore, ad infimam regionis hypogaſtricae ſedem deſcendente, laborare. Ab his malis, ope *ſaponis acidi*, a parva primum

doſi, aduſque tres dragmas in die, per binos & ultra menſes, aſſumpti, curatus receſſit.

Domum reverſus, putrida febre graviſſima, dein vero dyſenteriae ſymptomatis correptus fuit, qua licet curata, remanſit tamen diarrhoea, contra quam varia remedia ex claſſe adſtringentium ab amicis porrecta ſunt: ita ut diarrhoea ſupprimeretur quidem per aliquos ſaltem dies; mox vero iterum vi maiori erumperet alvi fluxus: ob quem de novo, pluriesque Noſocomium adivit variamque, ſed inſufficientem malo incurabili methodum eſt expertus.

Novum vero nunc exoriebatur ſymptoma. Decedebant iamiam per urethram, dum mingeret aegrotus, materiae craſſae ſubcinerei coloris, foetidiſſimae, quin tamen abhinc dolor ullus produceretur aut pruritus. Die igitur 31. menſis Maii 1785., ſeſe ad *Clinicam* noſtram contulit, & ſequentia nobis exhibuit ſymptomata.

Pulſus erat mollis, debilis, pauliſper frequens; reſpiratio expedita, lingua palleſcens, muco obducta, foetebat halitus, vox erat debilis, cutis ſicca, abdomen molle, frequenteſque deiectiones foetentes largiebatur, quae fluidae erant griſeoque tinctae colore. Urina pauca excernebatur, ſed multa materia griſei

coloris, foecibus deſcriptis perſimili, eodem praedita foetore, referta.

Non dubitavi, mox diarrhoeam hucuſque perpeſſam, pro *diarrhoea urinali* declarare, atqúe Auditoribus meis praedicere, ulcus inſanabile ex inteſtino recto cum veſica urinali communicaturum. Dabantur interim quaedam remedia leniter evacuantia.

Die prima Iunii, pulſus erat elevatior, vix febrilis, lingua purior; foeces, ſat copioſae, flaveſcebant; urina foecibus lotio dilutis perſimilis.

Die ſecunda Iunii omnia eadem.

Die tertia. — Huc uſque aegroto urina ſuppreſſa invenitur, ſine ulla tamen ad pubem tenſione animadverſa. Dabatur tinctura corticis peruviani cum animà rhabarbari.

Die quarta. — Neque in hunc uſque diem minxit aegrotus.

Die quinta. — Epota ſic dicta limonada, aegrotus urinas denuo excrevit per urethram. Tunc Enema ex cortice peruviano a me praeſcribebatur, ſpe freto, hoc ipſum urinae vias ex parte lecturum eſſe. Sed fefellit experimentum, & urinae die ſequenti prioribus correſpondebant. Hinc iuſſi, ut butyrum in infuſo chamomillae calido, diligenti conquaſſatione, ſolutum, ad aliquot uncias, inteſtino recto inii-

ceretur: credens, hoc ipſum, ſi veſicam intraret, facilius poſſe in urinis diſtingui.

Aſt vero die octava nullum butyri vel pinguedinis in urinis ſignum adparuit, neque, cum experimentum repeteretur, exſpectationi magis reſpondere vidimus. Hinc aquam coccineo colore praeditam, per ipſam urethram, veſicae iniici curans, exſpectavi, ut, ſi perforata eſſet, uti aſſerueram, veſica; ex hac, colorata per alvum deplueret urina. Aſt vero magna ex parte per ipſam urethram effluxit aqua coccinea.

Hac ipſa denique nocte haemorrhagiam ex inteſtino recto perpeſſus eſt aegrotus, magnamque ſanguinis nigri, congrumati copiam deperdidit. Abhinc debiliſſimus, pulſum exhibuit intermittentem, lentum, acceſſit denuo levis ad veſperam febricula, quin tamen reſpiratio redderetur difficilior: quidquod aegrotus ſe multo melius habere profiteretur. Dabantur remedia ex corticis peruviani extracto; aſt vero ſub noctem decimae diei, novâ per alvum ſuborta haemorrhagia, ſummo languore prehenſus, vitam cum morte citiſſime permutavit.

Sectio Cadaveris in Commilitonum praeſentia a me fuit inſtituta. Abdomen valde contractum & depletum erat. Apertis illius

integumentis, viſa ſunt, omentum adipe fere omni deſtitutum, inteſtina craſſa ex livido vireſcentia & aere multo extenſa. Meſenterium atque hepar nullum nobis exhibuerunt tumorem praeternaturalem. Aſt vero adeps copioſus, flavus, inter ambas meſenterii laminas haerebat aequaliter diſperſus. Inteſtinum *Ileon* in pelvis cavum, a ſiniſtris, profunde deſcendebat & ex hoc demum, a dextris, ad coecum inteſtinum adſcendebat. Inteſtinum *Colon*, poſtquam ad flexurae ſuae, quam Sigmoidaeam dicunt, & ad recti confinias perveniſſet, invenimus ſubito in anguſtiam contractum, laminiſque a peritonaeo natis conſtrictum, & quaſi incarceratum. Mox continua erat a dextris & a parte poſteriori, eiuſdem inteſtini dilatatio, & haec in ſaccum quemdam abiit, pugni virilis fere magnitudinem habentem, ſubrotundum. Specillum ano immiſſum, facile ad hunc ſaccum perveniebat.

Diſſectis laminis illis a peritonaeo praeternaturaliter natis & colon conſtringentibus, hoc, in parte contracta, mox magis potuerat dilatari.

Diſſecta, in longum, veſica urinali, mox conſtitit, hanc, *foramine* pollicem lato, in circumferentia calloſo, cum ſacco illo inteſtini recti, aut potius adhuc, coli ipſius,

communicare, hoc ſcilicet cum poſteriori veſicae urinalis pariete arctiſſime connato, & ope dicti foraminis cum ipſa veſica correſpondente. Foculenta interim & ſubcruenta materies, liquida, foetidiſſima, in cavo veſicae inveniebatur.

Ex utroque vero, & poſteriori veſicae latere, ureteres adſcendebant, volumine ſuo naturali, ad minimum triplo maiores, lotio impleti pellucido, atque in morem inteſtini tenuis extenſi. Sic ad renes ipſos dilatati aſcendebant. Ren ſiniſter extenſus, non niſi pelvim fere renalem valde extenſam referebat, ſubſtantia eius vaſculari multum ubique extenuata. In dextro rene haec paulo minus obtinebant; ren autem ſuccenturiatus, praemagnus obſervabatur. Suppurationis in renibus veſtigia nulla.

Atque haec erant quae in hoc cadavere invenimus memoratu certe digniſſima. Quodſi aliqua ſuper his adnotandi, momentum aliquod mihi concedatis PATRES *Sapientiſſimi*, gratus eodem ſum fruiturus.

Tum primus, tum ſecundus ex aegrotis, quorum hiſtorias allegavi, laborabat *diarrhoea urinali* ex lotio, de veſica perforata, in rectum inteſtinum ſaepiſſime depluente, illudque clyſteris acrioris in mo-

dum, ad frequentiſſimas excretiones ſtimulante. Neque, ſi Auctores Medicinae practicae pervolvamus, deſunt aliqua, quamvis ſat rara ſint, horrendi huius mali exempla. „ Secto, inquit SCHENKIUS, cadavere „ Petri de *Schandes*, re medica illuſtris, „ praeter lapides renum prodigioſos repen„ tos, etiam in recto inteſtino, a regione „ colli veſicae, inventa eſt carnoſitas putris, „ quae ſua putrilagine veſicam ita lacerave„ rat, ut inteſtinorum excrementa, *ante* „ *obitum*, una cum urina redderet ad mi„ raculum uſque, & forſan antea non vi„ ſam (*a*) “.

In *Tranſactionibus Philoſophicis* exemplum vermis ſive *Aſcaridis Lumbricoidis* niſi polypoſa potius materia fuerit, refertur a *Turnero*, quem puer ſexdecim menſium per urethram excreverat (*b*), cuique vix alius ad veſicam aditus eſſe potuit, niſi, perforato inteſtino ſibi hunc ipſum in veſicam urinalem paraviſſet. Uti recte quoque de aliis, tum ex *Valiſnerio* atque *Algbiſio*, tum ex *Boneto*, deſumptis exemplis monuit illuſtris

---

(*a*) Obſervat. Medicinal. Lib. III. p. 431.
(*b*) N. 391. p. 410.

Morgagnus (*a*). Alibi exemplum ſuppreſſae ab excrementis urinae habetur, quae, per viam, a previa inteſtini recti gangraena, natam, ad viſicae cavum proruperant (*b*).

Puero, qui intra ſeptendecim dies, urinam non reddiderat, perpetua interim aderat diarrhoea (*c*). Apud *Pechlinum*, in Iſchuria vera, per alvum urina deceſſit, quae odore ſuo & tenacitate ſe proderet (*d*). Ill. *Hallerus* ex *Groenveltio* exemplum aegroti refert, cui, cum, duodecimo die ſuppreſſae urinae, iam gravis lethargus ingrueret, urina multa cum levamine per alvum egeſta eſt (*e*). Apud feminas, eiuſmodi perforationum, tum inteſtini recti tum vaginae, tum urethrae, exempla non adeo quidem rara ſunt, quam apud viros. Vos ipſi, Commilitones optimi, hoc eodem anno, in Clinica noſtra vidiſtis mulierem, cui, ob abſceſſum venereum, foeces copioſae per genitalia excretae fuerunt. Simili & *Dodonaeus* exemplum confer-

(*a*) De Sed. & cauſ. Morb. Ep. 42. n. 6.
(*b*) Medical and philoſophical commentaries Vol. II. P. II. p. 192. 193.
(*c*) Philoſ. Tranſ. n. 337.
(*d*) Obſ. XI. L. I.
(*e*) Element. Phyſiol. §. II. p. 370.

vavit mulieris, quae, poſtquam diutino tempore purulenta foeditaque manifeſtiſſima exulcerati uteri ſigna per pudenda excreviſſet, poſtremo & alvi excrementa per eundem locum demiſit (*a*). Atque alia huius naturae exempla conſervavit *Schenkius*.

Videmus ergo, Auditores, quantum ſingulorum viſcerum interſit, ſanam inhabitare corporis viciniam! — Aſt quot non ſunt cauſſae, quibus haec nocua redditur, ſaniſſimiſque alias partibus periculoſa! Certe in primo, quem adduxi, aegroto, ex Haemorrhoidali inteſtini recti inflammatione neglecta, abſceſſus ortus fuit hanc partem cum ipſa veſica urinali perforans, ita ut & inteſtinales flatus, ſat raro exemplo, urethrae vias multoties legiſſent; quod idem mihi Sacerdos ille, cuius hiſtoriam enarravi, ſibi ſaepius contigiſſe, retulerat. In Muſices Magiſtri relato exemplo, carcinoma erat, cuius ichor veſicam corroſerat; & in praedicto infelici Sacerdote, ab uſu adſtringentium remediorum durante dyſenteria perpeſſa, inflammatio inteſtini recti nata eſt, unde eiuſdem concretio cum poſte-

(*a*) In annotat. ad c. 4. *Beniverii*.

riori veſicae urinalis pariete, atque utriuſque viſceris abſceſſus inſanabilis, producta fuerunt. Sic nunc foeces ex inteſtino recto in veſicam delabentes, atque cum lotio commixtae, per urethram excernebantur; nunc eaedem, veſicae oſtium obturantes, urinam ad ipſum inteſtinum depluere cogebant; nunc vero, ubi adeo in veſicae cavo foeces accumulabantur, ut & ipſa ureterum oſtia, per quae lotium ex renibus in veſicam defertur, obſtruerent, urinae in ureteribus ſtagnationem, collectionem praeternaturalem uſque ad ipſam renis utriuſque pelvim producebant: unde dilatati in formam inteſtini tenuis ureteres, urinam tamdiu continebant, donec, ſoluta denuo materia foecali in veſica haerente, haec eadem aut per urethram excerneretur, aut naturales vias tandem relegeret.

Neque mirum videbitur, lethalem tandem haemorrhagiam inteſtinalem in hoc miſero aegroto fuiſſe excitatam: ut cuius vaſa haemorrhoidalia continuo affluentis urinae balneo acerrimo, & praeternaturaliter dilatari ſucceſſive debuerunt, & tandem dilacerari, atque in tabem purulentam corrodi.

Aſt vero diutius, quam, ne patientia veſtra abuterer, in his rebus verſatus ſum PATRES *Sapientiſſimi* & AUDITORES *Ho-*

noratiſſimi ! Ad vos igitur nunc me converto praeſtantiſſimi DOCTORES, utque ſudore veſtro comparatos honores tandem veſtros eſſe ſentiatis atque meis ex manibus publice conceſſos noſcatis, Vos coram adpello. *Togam* hanc induite! — ſed, cum illa, morum quoque, ſine qua Medicus nudiſſime in ipſa toga incederet, integritatem. — *Pileo* caput veſtrum ornate & in ſalvandis mortalibus coronam tandem mereamini civicam! — *Epomide* hac cingite humeros & inter Medicinae Doctores cum eximiis eorundem privilegiis incedite! ne vero, tot *crucigerorum* more, honoris humanitatiſque ſignum in humeris, furorem aurique ſacram famem in ſinu fovete! — En *librum*! in hoc inventa hominum, & ſaeculorum experientias conſulite; ſed in magno *naturae libro* veritatem legitote & per proprios, non alienos ſemper oculos obiecta tueri ſtudete. — *Annulo* digitum circumdate, & hac ipſa manu pauperem ſuccurrite, cives ſervate, Reipublicae vos nuptos ſentite! Ite amici, ite memores Academiae noſtrae & dignitatis, quam in vos collocavit, memoreſque mei, qui fraterno utrumque ex vobis animo amplector, fauſtaque omnia vobis apprecor; Valete!

Finis Secundi Voluminis.

ELENCHUS.

I.) *Ioannis Andreae* MURRAY, *de Materia Arthritica ad verenda aberrante.* pag. 1--61

II.) *Carolus Ioſeph* OEHME, *de Morbis recens natorum chirurgicis.* 62--172

III.) *Ludovici* SCHOELER, *Diſſertatio ſiſtens Obſervat. ſuper morbos Surinamenſ.* 173--216

IV.) *Ioan. Fried.* GAUSBRAND, *Diſſertatio inauguralis Chemico-Medica de Acidorum, imprimis nitroſi & muriatici, dulcificatione.* 217--252

V.) *Io. Gabrielis* ZIMMERMANN, *Diſſertatio de Scarlatina in annis* 1775. *&* 1776. *epidemica.* 253--312

VI.) *Io. Petrus* FRANK, *Sermo Academicus de Civis Medici in Republica &c.* 1--76

VII.) *Io Petri* FRANK, *Oratio Academica de Veſica Urinali &c.* 1--19